

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Primam & Secundam
complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit, Cum iudicibus ...

**Gerhard, Johann
Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617789

Caput CLII. Christus Parabolam De Vinea Ingratis Agricolis Elocata
Sacerdotibus Et Senioribus Proponit.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18162

velimus, sed cogitemus idem accidisse temporibus Christi. Sacerdotes, Scribæ & Seniores nec Johannis doctrinâ nec publicanorum exemplo permoveri potuerunt, ut pœnitentiam agerent & in Christum crederent: ita adhuc hodie sapius contingit, ut omnium deterrimi sint, qui reliquis viam salutis monstrare debebant, ac veritatem præ reliquis persequantur, qui primi eam amplecti debebant. Id verò originem trahit ex Clericalifatu & arrogantia. Turpe enim sibi fore ducunt & Sacerdotali ordini minus conveniens, si in causa religionis exemplum Laicorum sequi debeant, cum dignitas ordinis requirat, ut Laici potius ipsos subsequantur. Nolunt igitur ingredi illam viam, quam primi non sunt ingressi, etiamsi in corde suo con victi sint, illam esse rectam & salutarem; malunt per impœnitentiam in pessimis suis viis persistere, quàm ordini Sacerdotali illam, quam sic interpretantur, turpitudinis notam conciliare. 9. Longè majoris laboris est & difficultatis, convertere hypocritas opinione propria sanctitatis fascinosos, & inflatos, quàm publicos & notorios peccatores. Illi enim cum se fa-

nos arbitrentur, Medico minime sese indigere somniant Matth. 9. vers. 12. hi verò ad internum conscientie evigilantis tribunal ducti, facilius ad peccatorum suorum agnitionem & detestationem perveniunt, ut ad Medicum animarum aspirant. Luc. 7. vers. 29. *Publicani justificaverunt Deum baptizati baptismo Johannis, vers. 30. Pharisei autem & Legisperiti consilium Dei adversus seipos spreverunt, non baptizati ab eo.* 10. Incredulitas & impœnitentia sunt causæ, propter quas homines excluduntur è regno cœlorum. Omnibus patet aditus ad gratiam Dei, omnibus in Christo paratus est thesaurus salutis, omnibus idem offertur in verbo Evangelii, sed per incredulitatem & impœnitentiam respuitur. Marc. 16. v. 16. Johan. 3. v. 18. & 36. 11. Quotquot veram pœnitentiam agunt & à peccatis ad Deum convertuntur, exemplo suo nobis prælucent, ut illorum vestigiis insistamus; sin minus in die judicii erunt nostri accusatores. Matth. 12. v. 40. & 41. sicut hoc loco Christus testatur, publicanos & peccatrices per suam pœnitentiam Sacerdotes & Scribas accusare.

CAPUT CLII

CHRISTUS PARABOLAM DE VINEA INGRATIS

AGRICOLIS ELOCATA SACERDOTIBUS ET SENIORI-

BUS PROPONIT. MATTH. 21. VERS. 33.

MARC. 12. VERS. 1. LUC. 20. VERS. 9.

RATIO ORDINIS.

Parabolæ de duobus filiis in vineam à parente ablegatis Matthæus immediate subiungit parabolam de vinea ingratis agricolis elocata, neq; quidam apud reliquos Evangelistas occurrit, quod loco intermedio interleri debeat: nam & Marcus & Lucas hanc de elocatione vineæ parabolam subiungunt colloquio de Baptismo Johannis, & reliquis Christi concionibus eandem præmittunt, ut de connexionione nulla superfit dubitatio. Matthæus etiam per peculiarem transitionis formulam seriem connexionis monstrat. Præmittit enim Christum dixisse: *αὐτῶν ὁ ἀρχαῖος ἀπέστειλεν.* Ergo hæc parabola est in ordine secunda inter eas, quas tum temporis Christus Principibus Sacerdotum, Scribis & Senioribus proposuit, quia vocula *αὐτῶν* non solum significat alium, sed quandoq; etiam alterum & secundum Matth. 12. v. 13. Luc. 6. v. 29. Joh. 19. v. 32. Apocal. 6. v. 4. c. 17. v. 10. & in hac ipsa parabola Marc. 12. v. 3. quo sensu etiam ponitur vocabulum *ἄλλος* Psal. 109. v. 13. quo Syrus hoc loco utitur; quò referri potest, quod Hebræis *unus* interdum significet primum. Convenientissimo autem ordine hæc parabola sequitur priorem de duobus filiis in vineam ablegatis. 1. In priore parabola Christus Ecclesiam comparaverat vineæ, in hac ipsa latius declarat, quanta beneficia Deus in hanc vineam suam impenderit, quantâ curâ & diligentia eam plantaverit atque omnibus ad fructificationem necessariis instruxerit & exornaverit, quibus etiam colonis eam commiserit. 2. In præcedente parabola accusaverat Proceres & Seniores, quod in vinea

Domini non laborent, quamvis verbis multa promittant, in hac parabola accusationem intendit, ipsosque arguit, quod instar pessimorum non solum otientur, sed etiam servos cœlestis patrisfamilias, qui fructus vineæ ab ipsis postulent, malè tractent, quin de filio ejusdem è medio tollendo sanguinaria consilia agitent. Sic ergo insanabilem eorum malitiam & pertinaciam à majoribus hereditario quasi jure acceptam acrius, quàm in superiore parabola perstringit, ipsosque eò impietatis progressuros prædicit, ut sicut ipsorum majores servos Dei sanctos scilicet Prophetas occiderint, ita ipsi filium Dei sint interfecturi. Matth. 3. v. 10. dicit Johan. Baptista, Arborem, quæ sterilis est ac pessimos quasi profert fructus, excindendam: Quia ergo in priore parabola demonstraverat Christus Principes Sacerdotum esse verâ pietate & fructibus bonorum operum vacuos: ideo in hac parabola ostendit eos pessimos proferre fructus ingratitude, crudelitatis, pertinaciæ, avaritiæ, &c. ac proinde excidium ipsis prædicit. 3. In quæstione Christo proposita, *quâ autoritate talia faceret*, Hierosolymitani proceres haud obscure sanguinarium suum animum declaraverant, voluerunt enim Christum tanquam alienæ potestatis temerarium & seditiosum usurpatorem tacite accusare, ut ansam haberent apud Præsidentem Romanum de ipso conquerendi, ipsumque ad supplicium rapiendi. CHRISTUS igitur hoc sanguinarium ipsorum consilium in lucem jam producit & ad plebem, hoc est, audiente omni populo de nefaria ipsorum crudelitate dissemit. 4. In

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

D. d. 4 præce-

præcedente parabola CHRISTUS Sacerdotes accusaverat, quod doctrinam Johannis recipere noluerint, seque hac ratione publicanis & meretricibus peiores ostenderint; in hac parabola demonstrat, quod in contumacia studio, cui per contemptum doctrinæ & Baptismi Johannis insistere cœperint, strenuè pergant, nec solum suam ipsius Messiaë doctrinam pertinaciter repudient, sed etiam vitæ suæ insidias struant, cum tamen sit Dei filius & promissus Messias publico Johannis præconio confirmatus. 5. Ut autem impietatis accusatio magis intenditur, ita quoque gravior pœna ipsis prædicatur. In præcedente parabola publicani & meretrices in regnum Dei ipsos præcedere dicuntur, hic verò regnum Dei planè ab ipsis auferendum & alteri genti, quæ ferat fructus ejus tradendum prædicatur, quod erat longè gravius. 6. Scopus hujus parabolaë non consistit in eo, quod Christus prædicere voluerit, quid ex immutabili & invariabili decreto divino Principes Sacerdotum & populi in procuranda Messiaë morte facere debeant, multò minùs eos magis irritare & efferatiores reddere, ut ad necem sibi inferendam & consequenter opus redemptionis promovendum excitentur, sicut patroni absoluti decreti somniant, potuisset enim Deus pro infinita sua sapientia & potentia omnem Angelici nedum humani intellectus captum excedente aliud medium redemptionis invenire, si vel maximè Judæi Filio suo violentas manus haudquaquam intulissent. Sed scopus eò redit, quod voluerit Sacerdotes, Scribas & Seniores ab immani illo flagitio, quod jam animis suis præconceperant, perpetrando, revocare & à cædè Messiaë, quam meditabantur, dehortari, idèò non solum in mentem illis revocat varia benefi-

cia, quæ DEUS vinea suæ, id est, populo Israëlitico, cujus præpositi & rectores erant, præstitit, Itemque dignitatem & eminentiam, quam Deus ex gratia illis in vinea concesserit, videlicet quod vinea illos præfecerit, uti etiam debitas commissi muneris partes, quod ob vineam sibi elocatum fructus ejus Deo offerre debeant, ut ab extremo illo ingratitude gradu, quo in ipsum Dei filium insurgere cogitabant, eos revocaret. Deinde quando in parabola servorum Dei, id est, Prophetarum à majoribus ipsorum iniquissimè tractatorum & interfectorum meminit, admonet illos gravissimarum pœnarum, quas propterea ipsorum majores experti fuerant, quod in captivitatem tum Babylonicam, tum Assyriacam fuerint abducti. Præterea disertis & apertis verbis ipsis prædicat, quod regnum Dei, id est, gratia Dei, verbum, Ecclesiæ bona omnia, &c. ipsis sint auferenda. Denique ex allegatione dicti Prophetici ipsos convincit, quod omnes ipsorum conatus contra se verum Dei filium & promissum Messiam futuri sint irriti, quodque non sint propolium sibi finem, videlicet vinea appropriationem & Messiaë oppressionem unquam obtenturi. Hæc omnia eò spectabant, ut Christus ab immani illo flagitio, quod jam meditabantur, eos ad pœnitentiam revocaret, sicque denuò hæc parabola ordine convenientissimo præcedentem sequitur. Quia in parabola priore Johannis vocationem & consequenter etiam suam confirmaverat (quia Johannes de Christo fuerat testatus) ut hac ratione eos ab incredulitate & impœnitentia converteret, hic verò acrioribus stimulis utitur, ut ex peccatorum lethargo eos excitaret.

PARABOLA DE VINEA INGRATIS AGRI- COLIS ELOCATA.

MATTH. 21.

33. Ἄλλην παραβολὴν ἀκούσατε. Ἄνθρωπός τις ἦν οἰκοδεσπότης, ὃς ἐφύτευσεν ἀμπελῶνα καὶ φραγμὸν αὐτῷ περιέθηκε; καὶ ὤρυξεν ἐν αὐτῷ ληνὸν καὶ ἀκοδόμησε πύργον, καὶ ἐξέδοτο αὐτὸν γεωργοῖς καὶ ἀπερήμεσιν.
34. Ὅτε δὲ ἤγλισεν ὁ καιρὸς τῶν καρπῶν, ἀπέστειλε τὰς δούλους αὐτῆς πρὸς τὰς γεωργίας, λαβεῖν τὰς καρπὰς αὐτῆς.
35. Καὶ λαβόντες οἱ γεωργοὶ τὰς δούλους αὐτῆς, ἢ μὲν ἔδειραν, ἢ δὲ ἀπέκτενον, ἢ δὲ ἐλάθροβόλησαν.
36. Πάλιν ἀπέστειλε ἄλλας δούλους καλεῖνας τῶν πρώτων, καὶ ἐποίησαν αὐτοῖς ὡσαύτως.
37. Ὑστερον δὲ ἀπέστειλε πρὸς αὐτὰς τὸν υἱὸν αὐτῆς λέγων, ἐντραπήσονται τὸν υἱὸν μου.
38. Οἱ δὲ γεωργοὶ ἰδόντες τὸν υἱὸν, ἔσταν ἐν ἑαυτοῖς, λέγοντες, ὁ κληρονόμος, δευτε, ἀποκτενοῦμεν αὐτὸν, καὶ κατασχάμεν τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ.
39. Καὶ λαβόντες αὐτὸν ἐξέβαλον ἔξω τῆς ἀμπελῶνος, καὶ ἀπέκτενον.
40. Ὅταν ἔν ἐλθῇ ὁ κύριος τῆς ἀμπελῶνος, τί ποιήσει τοῖς γεωργοῖς ἐκείνοις;
41. Λέγουσιν αὐτῷ, κακῶς κακῶς ἀπολέσει αὐτούς, καὶ τὸν ἀμπελῶνα ἐκδοῦσεται ἄλλοις γεωργοῖς, ἃι τινες ἀποδώσασιν αὐτῷ τὰς καρπὰς ἐν τοῖς καιροῖς αὐτῶν.
42. Λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, ἴδτε ἄρα ἀνεγίνωτε ἐν ταῖς
33. Aliam parabolam audite. Homo quidam erat paterfamilias, qui plantavit vineam & spem ei circumdedit & fodit in ea torcular & edificavit turrim & locavit eam agricolis, ac peregre profectus est.
34. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ipsius.
35. Et agricolæ apprehensis servis ejus alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt.
36. Iterum misit alios servos plures prioribus, & fecerunt illis similiter.
37. Novissime autem misit ad eos Filium suum, dicens: Reverebuntur Filium meum.
38. Agricole autem viso Filio dixerunt intra se: Hic est heres, venite, occidamus eum, & occupemus hereditatem ejus.
39. Et apprehensum eum ejecerunt ex vinea, & occiderunt.
40. Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?
41. Ajunt illi. Mali cum sint, malè perdet illos, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus ipsorum.
42. Dicit illis Jesus. Nunquam legistis in Scripturis Lapidem,

γραφαῖς ; Λίθον , ἐν ἀπεδοκίμασαν οἱ οικοδομῆντες , ἔτι ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας . παρὰ κυρίῳ ἐγένετο αὕτη , καὶ ἐστὶ Σαυμασὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν .

43. Διὰ τὸ λέγει ὑμῖν , ὅτι ἀρῆσεται ἀφ' ὑμῶν ἡ βασιλεία τῆς Θεῶ , καὶ δοθήσεται ἔθνεσι ποιεῖν τὰς καρπὰς αὐτῆς .
44. Καὶ ὁ πρῶτος ἐπὶ τὸν λίθον τῆτον συνθλασθήσεται , ἐφ' ὃν δ' ἂν πρῶτος , λιμνήσῃ αὐτόν .
45. Καὶ ἀκούσαντες οἱ ἄρχιερεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι τὰς παραβολὰς αὐτῆ ἐγνώσαν , ὅτι περὶ αὐτῶν λέγει .
46. Καὶ ζητῶντες αὐτὸν κρατῆσαι , ἐφοβήθησαν τὰς ὄχλους , ἐπὶ δὲ ὡς προφήτην αὐτὸν εἶχον .

Lapidem , quem reprobaverunt adificantes ; hic factus est in caput anguli . A Domino factum est hoc , & est mirabile in oculis nostris ?

43. Ideo dico vobis , auferetur à vobis regnum Dei , & dabitur genti facienti fructus ejus .
44. Et qui ceciderit super Lapidem istum , confringetur : super quem vero ceciderit , conteret eum .
45. Et cum audissent Principes Sacerdotum ac Pharisei parabolas ejus , cognoverunt , quod de se diceret .
46. Et querentes illi manus injicere , timuerunt turbas , quoniam tanquam Prophetam cum habebant .

MARC. 12.

1. Καὶ ἤρξατο αὐτοῖς ἐν παραβολαῖς λέγειν , Ἄμπελῶνα ἐφύτευσεν ἄνθρωπος καὶ περιέθηκε Φραγμὸν , καὶ ὤρυξεν ὕψωλον , καὶ οικοδομήσει πύργον , καὶ ἐξέδοτο αὐτὸν γεωργοῖς καὶ ἀπεδήμησε .
2. Καὶ ἀπέστειλε πρὸς τὰς γεωργὰς τὸ καιρὸν ὄβλον , ἵνα παρὰ τῶν γεωργῶν λάβῃ ἀπὸ τῶ καρπῶ τῆ ἀμπελωνος .
3. Οἱ δὲ λαβόντες αὐτὸν ἔδειραν , καὶ ἀπέστειλαν κενόν .
4. Καὶ πάλιν ἀπέστειλε πρὸς αὐτὰς ἄλλον , καὶ κείνῳ λιθοβολήσαντες ἐκεφαλαίασαν καὶ ἀπέστειλαν ἠτιμωμένον .
5. Καὶ πάλιν ἄλλον ἀπέστειλε . καὶ κείνῳ ἀπέκτειναν , καὶ πολλὰς ἄλλας , τὰς μὲν δερνόντες , τὰς δὲ ἀποκτείνοντες .
6. Ἐτι ἔν ἑνὸς ἡὸν εἶχον ἀγαπητὸν αὐτῷ , ἀπέστειλε καὶ αὐτὸν πρὸς αὐτὰς ἔσχατον , λέγων ὅτι ἐντραπήσονται τὸν ἡὸν μου .
7. Ἐκείνοι δὲ οἱ γεωργοὶ εἶπον πρὸς ἑαυτὰς ὅτι ἔτις ἐστὶν ὁ κληρονόμος , δευτὴ ἀποκτείνωμεν αὐτόν , καὶ ἡμῶν ἔσται ἡ κληρονομία .
8. Καὶ λαβόντες αὐτὸν ἀπέκτειναν καὶ ἐξέβαλον ἐξω τῶ ἀμπελωνος .
9. Τί ἔν ποιῆσὶ ὁ κύριος τῶ ἀμπελωνος ; ἐλεύσεται , καὶ ἀπολέσῃ τὰς γεωργὰς , καὶ δώσῃ τὸν ἀμπελωνά αλλοῖς .
10. Οὐδὲ τὴν γραφὴν ταύτην ἀνέγνωτε ; Λίθον , ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οικοδομῆντες ἔτι ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας .
11. Παρὰ κυρίῳ ἐγένετο αὕτη , καὶ ἐστὶ Σαυμασὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν .
12. Καὶ ἐζήτην , αὐτὸν κρατῆσαι , καὶ ἐφοβήθησαν τὸν ὄχλον , ἐγνώσαν γὰρ , ὅτι πρὸς αὐτὰς τὴν παραβολὴν εἶπε καὶ ἀφείρες αὐτὸν ἀπηλθῶν .

1. Et cepit illis per parabolas loqui : Vineam plantavit homo & circumdederat sepem & foderat lacum & edificaverat turrim & elocaverat eam agricolis & peregrè profectus est .
2. Et misit ad agricolas tempore oportuno servum , ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ .
3. At illi arreptum illum ceciderunt ac remisferunt vacuum .
4. Et rursum misit ad illos alium servum : & illi , coniectis in eum saxis , comminuerunt illi caput & remisferunt contumeliis affectum .
5. Et rursum alium misit : & illum occiderunt , multosque alios , hos quidem cadentes , illos vero occidentes .
6. Itaque eum unum adhuc haberet filium suum dilectum , misit etiam illum ad illos postremum , dicens : Reverebuntur filium meum .
7. Illi vero agricole dicebant inter sese : Hic est heres , venite occidamus eum & nostra erit hereditas .
8. Et arreptum illum occiderunt & ejecerunt è vinea .
9. Quid igitur facturus est dominus vineæ ? Veniet & perdet agricolas & dabit vineam aliis .
10. An non hanc quidem Scripturam legistis ? Lapidem quem reprobaverunt ij , qui adificabant , hic factus est in caput anguli .
11. A Domino factum est hoc , & est admirabile in oculis nostris .
12. Et querebant eum comprehendere , & metuebant turbam . Sciebant enim , quod adversus ipsos parabolam dixisset . Et relicto illo abierunt .

LUC. 20.

9. ἤρξατο δὲ πρὸς τὸν λαὸν λέγειν τὴν παραβολὴν ταύτην , Ἄνθρωπος τις ἐφύτευσεν ἀμπελωνά καὶ ἐξέδοτο αὐτὸν γεωργοῖς , καὶ ἀπεδήμησε χρόνῳ ἰκανῶς .
10. Καὶ ἐν καιρῷ ἀπέστειλε πρὸς τὰς γεωργὰς ὄβλον , ἵνα ἀπὸ τῶ καρπῶ τῶ ἀμπελωνος δώσιν αὐτῷ , οἱ δὲ γεωργοὶ δειραντες αὐτὸν ἐξαπέστειλαν κενόν .
11. Καὶ προσέειπε πέμψαμι ἕτερον ὄβλον οἱ δὲ καὶ κείνῳ δειραντες καὶ ἀτιμῶσαντες ἐξαπέστειλαν κενόν .
12. Καὶ προσέειπε πέμψαμι τρίτον , οἱ δὲ καὶ τῆτον τραυματίσαντες ἐξέβαλον .

9. Cepit autem dicere ad plebem parabolam hanc : Homo quidam plantavit vineam , & locavit eam colonis & ipse peregrè egit multo tempore .
10. Cumq; esset oportunitas misit ad colonos servum , ut de fructu vineæ darent ipsi : qui casum emisferunt inane .
11. Et rursus adhuc alterum servum misit : illi vero hunc quoq; casum , & contumeliis affectum emisferunt inane .
12. Rursus misit & tertium : at illi hunc quoq; vulneribus inflixis , ejecerunt .

13. Εἶπε

13. Εἶπε δὲ ὁ κύριος τῶ ἀμπελώνῳ· τί ποιῶ; πέμψω τὸν υἱόν μου τὸν ἀγαπητόν, ἵσως τὸν ἰδόντες ἐντραπήσουται.
14. Ἰδόντες δὲ αὐτὸν οἱ γεωργοὶ διελογίζοντο πρὸς ἑαυτοὺς λέγοντες, ἔτι ἔστιν ὁ κληρονόμος, δεῦτε ἀποκτείνωμεν αὐτόν, ἵνα ἡμῶν γένηται ἡ κληρονομία.
15. Καὶ ἐβαλόντες αὐτὸν ἔξω τῶ ἀμπελώνῳ, ἀπέκτειναν. Τί ἔν ποιῶσ' αὐτοῖς ὁ κύριος τῶ ἀμπελώνῳ;
16. Ἐλεύσεται καὶ ἀπολέσ' τὰς γεωργὸς τὰς καὶ δώσ' τὸν ἀμπελώνα ἄλλοις. Ἀκούσαντες δὲ ἔειπον, μὴ γένοιτο.
17. Ὁ δὲ ἐμβλέψας αὐτοῖς ἔειπε· Τί ἔν ἔστι τὸ γεγραμμένον τῷ λίθῳ, ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομῶντες, ἔτι ἔρημῶν εἰς κεφαλὴν γωνίας;
18. Πᾶς ὁ πέσον ἐπ' ἐκεῖνον τὸν λίθον, συνθλασθήσεται, ἐφ' ὃν δ' ἀνέσῃ, λιμῆσ' αὐτόν.
19. Καὶ ἐζήτησαν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς ἐπιβαλεῖν ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας ἐν αὐτῷ ὄρει, καὶ ἐφθέγγοντο τὸν λίθον. Ἐγινώσκον γὰρ ὅτι πρὸς αὐτὸς τῆ παροξυσμῶν ταύτην ἔειπε.

13. Dixit autem dominus vineæ: *Quid faciam? mit- tam filium meum dilectum: forsitan cum hunc viderint, reverebuntur.*
14. *Quem cum vidissent coloni, cogitaverunt intra se, dicentes: Hic est heres, venite occidamus illum, ut nostra fiat hereditas.*
15. *Et eiec- tum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ?*
16. *Veniet & perdet colonos istos, & dabit vineam aliis. Quod cum audissent, dixerunt: Absit.*
17. *Ille vero intuitus eos, ait: Quid est ergo hoc quod scriptum est: Lapidem, quem reproba- verunt edificantes, is factus est caput anguli?*
18. *Omnis qui ceciderit super illum lapidem, con- quassabitur, super quem autem ceciderit, in pulverem comminuet illum.*
19. *Et quaerebant Principes Sacerdotum & Scribe injicere in illum manus eadem hora, & timuerunt populum: cognoverunt enim quod in ipsos dixisset similitudinem hanc.*

DE COAGMENTATIONE CIRCUMSTANTIARUM HUIUS PARABOLÆ.

Coagmentatio hujus parabolæ non caret difficultate propter apparentem circumstantiarum quarundam diverſitatem. Prima diverſitas concernit *parabolæ objectum*. Ex Matthæo colligi videtur, Christum hanc parabolam æquæ ac priorem ad Principes Sacerdotum, Scribas & Seniores dixisse: illis enim, qui dixerant se nescire, unde fuerit Baptismus Johannis, id est, Principibus Sacerdotum & Senioribus populi proposuerat Christus parabolam de duobus filiis in vineam à parente ablegatis, ut colligitur ex v. 23. 27. 28. & 31. cap. 21. Matth. jam verò iisdem etiam videtur proposuisse parabolam de vinea ingratu agricolis elocata, quia v. 33. continuato ad eosdem sermone subiungit: *Aliam parabolam audite*. Præterea v. 45. disertè additur: *Cum audissent Principes Sacerdotum & Pharisei parabolam ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret*. Utiq; ergo ad ipsos dicta videtur etiam hæc parabola. Fuit insuper Christo in hoc parabolico docendi genere inter cætera cum primis hoc propositum, quod voluerit ex illis, contra quos directæ erant parabolæ, ejusmodi responsum elicere, per quod ipsi postmodum condemnari possent. Jam verò ut in præcedente, ita quoque in hac parabola nihil occurrit, quod contra populum sit directum, sed omnia contra primores populi pugnant, quos proprio testimonio & judicio Christus confundere voluit. Utiq; ergo populi primoribus hæc parabola fuit proposita, qui soli etiam Christo respondisse, & sic suo se jugulasse gladio leguntur. Idem colligitur ex eventu. Principes Sacerdotum & Seniores populi intelligebant, sibi oppositam esse hanc parabolam, unde quaerunt Christum interficere, interim revocantur ab executione hujus sanguinarij propositi metu turbæ Christum pro eximio Propheta habentis. Atqui si Christus hanc parabolam etiam populo opposuisset, ipsi quoq; hoc nomine Christo fuissent indignati, nec defendissent eum contra Procerum machinationes. Ex Marco adhuc manifestius id ipsum colligitur. Cum enim præmisisset in cap. 11. v. 33. quod Christus Principibus Sacerdotum, Scribis & Senio-

ribus responderit. *Nec ego dico vobis, quâ potestate hæc faciam*, subjungit cap. 12. v. 1. *& cepit illis in parabolis loqui*: ubi relativum *autis* manifestè ad primores illos nos remittit. v. 12. addit, illos, quibus hæc parabola fuit proposita, *reliquit Christo abiisse*. At populus post auditum hujus parabolæ non abiit, sed ab ore docentis toto illo tempore pendulus mansit, sed proceres & primores populi sentientes ulcus suum hæc parabolâ tangi, indignè illud tulerunt & abierunt. v. 13. memorat illos, qui se hæc parabola perfringi audierant, *mississe ad Christum quosdam ex Phariseis & Herodianis, ut eum caperent in verbo*. Id verò denuò non populo, sed primoribus populi competere manifestum est. Nec dissentit ab hac Matthæi & Marci relatione Lucas, quia cap. vigesim. vers. decim. sext. refert, quosdam ex auditoribus hujus parabolæ concionis perceptâ comminatoriâ Christi sententiâ, *veniet Dominus vineæ & colonos istos perdet & dabit vineam aliis, dixisse: Absit*. Quamvis autem Lucas disertè non exprimat, quinam illi fuerint, tamen ex antecedentibus & consequentibus colligitur, illos fuisse principes Sacerdotum, Scribas & Seniores, qui v. 6. mentiti fuerant se nescire, unde fuerit Johannis Baptismus, quiq; probe noverant, se esse colonos hujus vineæ divinitus constitutos, quos etiam Christus ipso intuitu notabat, quando lapidem angularem ab ædificantibus reprobatum iri ex Davide probabat v. 17. denique quia ex his omnibus cognoscebant, quod *πρὸς αὐτὸς* dixerit hanc parabolam. v. 19. Sed huic sententiæ videtur ad- versari, quod Lucas in exordio hujus parabolæ dicit vers. 9. *Capit autem dicere ad plebem hanc parabolam*. Ubi verbum *ἤρξατο* est emphaticum. Hæc enim egerat cum Sacerdotibus, Scribis & Senioribus superbe interrogantibus, quâ potestate ista faceret. Sed quia apud ipsos parum proficere poterat, vultu & sermone ad plebem sese convertit. Posset etiam verbum *ἤρξατο* hoc sensu accipi, quod cum priorem parabolâ de duobus filiis à parente ad colendam vineam ablegatis proposuerit Principibus Sacerdotum, jam *cæperit ad plebem loqui*, quodq; hæc

hæc sit prima parabola plebi proposita, ac proinde *ἀπὸ τῶν* sermonis ad plebem directi. Ut hæc apparens diverfitas concilietur, notandum, quod phrasīs *πρὸς τοὺς λαοὺς* non accipitur eo sensu à Luca, quo eâ utitur Marcus cap. 12. v. 12. Quando enim Marcus dicit, *Principes Sacerdotum & populi intellexisse*, quod Christus *πρὸς αὐτοὺς* parabolam dixerit, sensus est, quod *contra ipsos*, vel ut Matthæus explicat, *πρὸς αὐτῶν* de *ipsis* hæc parabola fuerit dicta, id est, quod ipsorum crudelitatem Dominus hæc parabola perstringere voluerit: hoc verò sensu non potest accipi, quod Lucas dicit *πρὸς τοὺς λαοὺς* eam esse dictam. Quamvis enim indirectè & obliquè Christus in hac parabola populum admoneat, ut fructum fidei & bonorum operum Deo reddat, qualiscunque tandem sit præpositorum vita, tamen populi vitia directè in hac parabola non perstringuntur, sed colonorum, quibus vinea erat elocata, quique rationem de fructibus vineæ aliquando erant reddituri. Notandum etiam illud, quod phrasīs *πρὸς τοὺς λαοὺς* apud Lucam non sit *exclusiva*, quasi ad solam plebem Christus hæc parabolam dixerit, sed *inclusiva*, quod non solum ad Principes Sacerdotum, Scribas & Seniores præsentis, sed etiam ad plebem eam dixerit, ad illos quidem præcipuè, quia cum illis Christo in præcedentibus fuerat concertatum, sed quia circumfusâ & audiente plebe eam proposuit, ideo Lucas, qui post reliquos Evangelistâ scripsit, rectè dicere potuit, etiam ad plebem eam fuisse dictam. Posset insuper cogitari, quod vocabulum *λαὸς* non in sensu speciali pro populo à primoribus contradistincto hic accipiat, quo modo sumitur Luc. 1. v. 10. cap. tert. vers. decim. quint. cap. sept. vers. vigesim. non. &c. & in hoc ipso capite vers. decim. non. *timuerunt populum*, sed in sensu generali, prout complectitur non solum populum, sed etiam capita & primores populi, quo sensu sumitur Luc. 1. vers. 68. cap. tert. vers. vigesim. prim. vers. vigesim. tert. &c. quo etiam sensu accipitur vocabulum parallelum *ὄχλος* Luc. tert. vers. 7. Quod enim ad Phariseos & Sadducæos à Johanne Baptista dictum Matthæus refert cap. 3. v. 7. illud Lucas ad *ὄχλους* dictum esse memorat, qui locus cum hoc nostro conferri potest. Altera diverfitas in *ablegatione servorum* ad colonos occurrit. Matthæus duas servorum ablegationes commemorat, atq; utrobique plures simul missos fuisse asserit. Marcus & Lucas tres servorum ablegationes statuunt, ac singulis vicibus unum duntaxat missum fuisse referunt. Oslander lib. 3. Harmon. cap. 42. respondet, *alios fuisse servos, quos Marcus & Lucas primum singulos missos fuisse describunt, & alios servos, quos Matthæus plures, id est, aliquoties missos fuisse commemorat, id quod ex Marco facile intelligatur, qui de utrisque doceat. Sic ergo intelligendam esse parabolam, quasi patrifamilias sub Septembrem miserit singulos, ut fructus præcoces sive honorarii nomine, sive ut paulo post de reditu detraherentur, afferrent; sub Decembrem autem plures simul, qui totum vineæ reditum deferrent. Euthymius respondet, Marcum & Lucam tres missiones, Matthæum verò duas tantum facere, quia illi loquantur particularius, hic verò generalius. Quidam respondent, Matthæum propterea dicere multos missos, quia & primum & alterum & tertium servum, quos Marcus & Lucas missos dicunt, comitati fuere alii, quod colligunt ex*

Marco, qui missioni tertii servi subjungit, & multos alios. Quidam statuunt, hoc ipso, quod Marcus & Lucas in singulari dicunt, primum, secundum & tertium servum esse missum; Matthæus autem in numero multitudinis plurium servorum mentionem facit, nos mone-ri de *sancto consensu omnium servorum & Prophetarum Dei*, quod uno & eodem Spiritu acti eandem doctrinam proposuerint & eundem scopum, hominum scilicet salutem & gloriam Dei sibi præfixum habuerint, non secus ac si plures servi unus essent servus. Atque hæc quidem in explicacione parabolæ rectè dicuntur, interim ut coagmentatio circumstantiarum rectè se habeat, monendum, quod duplex servorum missio commemoretur. Una, quæ *singuli servum* mittebantur, quemadmodum innuunt Marcus & Lucas, qui tres servos successivè missos commemorant. Hanc describit Matthæus v. 34. *Cum appropinquasset tempus fructuum, misit servos suos (successivè scilicet) ut acciperent fructus ipsius. Quod enim de successiva missione hoc sit accipiendum, ostendit statim subjecta distributio vers. 35. Et agricolæ apprehensis servis ejus alium ceciderunt, alium occiderunt, alium lapidaverunt: id quod Marcus & Lucas sic explicant, quod primum servum verberarint ac vacuum dimiserint; alterum coniectis in eum lapidibus vulnerarint, & contumeliis affectum remiserint itidem inanem; tertium vulneribus inflictis à vinea ejecerint & occiderint. In altera missione plures servi simul fuere ablegati. Eam describit Matthæus vers. 36. *Iterum misit alios servos plures prioribus. Marcus eandem describit vers. 5. his verbis. Et misit multos alios, (quibus similiter fecerunt, ut habet Matthæus) hos quidem cadentes, illos vero occidentes. Sic ergo ordinabimus parabolam, ut successivam trium servorum missionem ex Marco & Luca primum ponamus, postea ejus epitomicam descriptionem ex Matthæo subjungamus. Tertia diverfitas in eo consistit, quod Marcus & Lucas primum servum dicunt fuisse *casum*, secundum *contumeliis affectum & in capite vulneratum*, tertium *ex vinea ejectum, vulneratum & occisum*. Matthæus verò videtur dicere, primum fuisse *casum*, alterum *occisum*, tertium *lapidibus vulneratum*. Respondendum, quod Matthæus in distributiva servorum istorum enumeratione non observet eundem ordinem, quem reliqui duo Evangelistæ observant, tertio enim loco ponit eum, quem Marcus secundo loco ponit, eiq; caput lapidibus comminutum memorat. Quod autem Marcus & Lucas naturalem ordinem hic observent, patet non solum ex eo, quod primum, secundum & tertium disertè nominent, sed etiam, quod scopus parabolæ sit, ostendere colonorum improbitatem cum bonitate & longanimitate patrisfamilias quasi certasse, & majora semper accepisse incrementa: posterior enim semper pejus fuit tractatus, quam prior. Quidam verbum *λιθολογῶν* apud Matthæum sic exponunt, quod lapidibus in eum coniectis interfecerint illum servum, quem tertio loco Matthæus numerat, quâ ratione itidem apud ipsū asurgeret oratio, gravius enim est lapidibus ad necē obrui, quam simpliciter occidi. Sed hoc non congruit descriptioni Marci, qui**

cum

eum, de quo usurpat verbum *λιθοβολῆσαι*, non dicit occisum, sed in capite vulneratum & inanem ad patremfamilias remissum. Ac certum est *λιθοβολῆσαι* simpliciter significare, lapidibus aliquem petere, lapides in aliquem conicere, sive mors ex eo sequatur, sive minimè. Rectius igitur & Harmoniæ convenientius statuitur, quod Matthæus hic non observet naturalem ordinem, cum distributivâ duntaxat enumeratione utatur. Quarta diversitas hæc est, quod Matthæus dicit, colonos filium patrisfamilias ad semissum prius ex vinea eiecisse, deinde eundem occidisse. Eundem ordinem observat Lucas. Marcus verò dicit, quod arreptum illum eiecervint, & deinde interfecti corpus ex vinea eiecervint. Quidam respondent, utrumque optimè consistere in parabola applicatione. Sacerdotes & Seniores Christum ex vinea primum eiecervint, quando Præsidi Romano eum tradiderunt, tanquam indignum Israelitici populi consortis, ac deinde eum per insanos clamores & concitationem plebis ad necem poposcerunt, adeoque ipsum occiderunt. Vicissim juxta seriem Marci primò eum occiderunt, id est, in Concilio suo morti eum adjudicavunt, ac postea Pilato eum tradiderunt, ut sententiam condemnatoriam exequeretur, & extra urbem Hierosolymam eduxerant. Proceres Judaici per incredulitatem CHRISTUM prius eiecervint ex vinea, id est, rejecerunt: postea verò occiderunt, ut habent Matthæus & Lucas: iidem prius occiderunt CHRISTUM, postea ex vinea eiecervint, ut habet Marcus, quia nec prædicationi de CHRISTO crucifixo & resuscitato credere voluerunt. Ambrosius lib. nono in Luc. pag. 144. Occiderunt crucifigendo, eiecervint negando. Atque hæc quidem in sensu mystico & in explicatione causæ, quare Marcus non servaverit eundem ordinem, haud inconcinnè dicuntur, interim quia in coagmentatione parabola unus duntaxat servari potest verborum ordo, ideò sequemur eum, quem Matthæus & Lucas observant, qui etiam ordini Naturæ & rei significatæ optimè congruit, prius enim ex vinea exterminari solet, quem occisum cupiunt coloni, antequam interficiatur, ne vinea ipsius sanguine quasi inquinetur, & perpetua reatus signa in ea extant. In Marco vel agnoscendum est *ἀπέθυσεν*, vel textus sic reddendus, occiderunt & eiecervint ex vinea, id est, eiecervint occiderunt. Quinta diversitas, eaque longè maxima in eo sita est, quod Matthæus verba illa, quibus colonorum ingratisimorum pœna describitur, malos male perdet, ipsis Sacerdotibus & Senioribus tribuit, sed Marcus & Lucas à Christo ea pronuntiata fuisse tradunt. Et quod difficultatem auget, Lucas scribit, Sacerdotes respondisse, absit, quasi quod Christus dixerat, negarent & abominarentur: quomodo igitur hanc contra se ipsos sententiam tulisse dici poterunt? August. lib. 2. de consens. Evangel. cap. 70. hunc nodum eo modo solve conatur. Facile potest intelligi, vel illorum vocem ita subjunctam, ut non interponeretur, illi dixerunt, aut illi responderunt, sed tamen intelligeretur: aut ideo responsum istam Domino potius attributam, quia cum verum dixerunt, etiam de illis hæc ipse respondit, qui veritas est. Difficultati illi, (quod Lucas non solum eos hoc respondisse non dicat, hæc verba ipse quoque, sicut Marcus, Domino tribuens, verum etiam contrarium re-

tulisse responsum dicentes, absit) sic occurrit. Intelligamus in plebe, que audiebat, quosdam respondisse, quod Matthæus commemorat, dicens: Adjunt illi, malos male perdet, &c. quosdam verò illud, quod Lucas non tacuit, hoc est, Absit. Iis ergo, qui illud Domino responderant, illi alii responderunt, absit: sed illorum responso, quibus isti retulerunt, absit, propterea Domino tributa est & à Marco & Luca, quia per eos veritas ipsa locuta est, sive per nescientes, sive mali erant, sicut per Caipham; sive per scientes ac jam intelligentes atque credentes. Ibi enim erat etiam illa multitudo, per quam jam impleta erat illa Prophetia, cum venienti magnâ celebritate occurrentes acclamarent: Benedictus, qui venit in nomine Domini &c. Tacuit namque idem Matthæus brevitate causa, quod Lucas non tacet, scilicet parabolam istam non ad eos solos dictam, qui de potestate interrogaverant (hoc est, ad Principes Sacerdotum, Scribas & Seniores) sed etiam ad plebem, in qua intelligendam est, etiam illos esse potuisse, qui sic eum audirent, quomodo cui dixerant: Benedictus, qui venit in nomine Domini, & ipsos vel ex ipsis fuisse, qui responderunt malos male perdet. Quorum responsum non solum propterea Domino tribuerunt Marcus & Lucas, quod hoc ipse dixisset, qui veritas est, qui etiam per malos atque nescientes sapienter loquitur, occulto quodam instinctu mentem hominis movens, non sanctitatis illius merito, sed jure propria potestatis: verum etiam quia tales esse potuerunt, ut non frustra in ipso corpore Domini jam sicut membra deputarentur, ut merito eorum vox illi tribueretur, cujus membra erant, &c. Posset huic conciliationi probabilitas quædam conciliari ex eo, quod Matthæus indefinitè dicit, quosdam ex auditoribus sic respondisse, nec exprimit, quinam illi fuerint. λέγουσιν, inquit: in Latina versione additur, ajunt illi, sed ex Græco textu apparet, relativum non esse positum in nominativo plurali, ut referatur ad Principes Sacerdotum, quorum in præcedentibus facta fuerat mentio, sed in dativo singulari, ut referatur ad Christum, cui illud responsum fuerit datum, (λέγουσιν αὐτῷ inquit) quodque non sit verisimile, Sacerdotes ipsos ita respondisse, cum paulò ante, in præcedente scilicet parabola, simili responso se illaqueatos noverint: deniq; quod promiscuè de aliquo cœtu quædam referantur, quæ tamen quibusdam duntaxat in illo cœtu competunt, per usitatum in Scripturis synecdochon, cujus figuræ exemplum adducit Augustinus ex Joh. 8. v. 31. & 37. Quidam ejusmodi profertur conciliationem. Quia responsum illud à Sacerdotibus datum vel maxime conveniens fuerit rei per parabolam significatæ, atque ab ipso Christo per Davidicum oraculum postea comprobatum, ideò Marcum & Lucam illa verba Christo tribuisse, quippe qui proposuerat parabolam, cui responsum illud apprimè erat conforme. Autor imperf. operis hom. 40. in Matth. sic conciliat. Matthæus descripsit responsum cordis, Lucas responsum oris. Nam visibiliter quidem in facie contradixerunt, dicentes, absit: in corde autem & in conscientia sua susceperunt, dicentes: Malos male perdet. Verbis dixerunt, absit: conscientia autem confessi sunt, quia malos male perdet. Frequenter autem Scripturæ cogitationes cordis ita exponunt, quasi dicta sermonis Psalm. decim. quart. vers. prim. Psalm. nonagesim. quarto. vers. septim. Sirac.

Sirac. 23. v. 25. &c. Simplicius nodum solvit Chryso-
 stomus, & ex eo Euthymius, quod primum quid-
 dem Principes Sacerdotum responderint, colonos
 illos malos male perdendos esse, ignorantes se contra
 se ipsos sententiam ferre, ut est apud Matthæum:
 deinde verò Dominum repetivisse, quod illi di-
 xerant, confirmando & approbando eorum sen-
 tentiam, adeoque vel aliquo vocis sono vel ver-
 bis quibusdam additis innuisse, Dominum vineæ
 omnino ipsos, utpote qui sint pessimi vineæ co-
 loni, perditurum, hoc vel simili modo. Rectè ad-
 versus vos ipsos judicastis, vosmetipsi estis tales
 vineæ coloni, vobis eveniet, quod de colonis illis
 iudicium tulistis, &c. quo audito responderunt,
 ut est apud Lucam, *absit*: quo verbo non negant
 colonis eventurum, quod ipsimet eis prædixe-
 rant, & quod ipsum iudicio æquissimum erat,
 sed negant ad se pertinere illam parabolam, sed
 esse pessimos illos colonos, qui filium cœlestis Pa-
 tris familias sint occisuri, ut sit sensus. Absit, ut
 hoc nobis, quod in parabola proposuisti, conven-
 niat, nos non habemus pessimum illud proposi-
 tum filium Domini vineæ occidendi, volebant e-
 nim agnoscere Christum esse promissum Mes-
 siam, ac Filium cœlestis Patris familias, proinde
 etiam existimabant sibi non competere, ut cum
 malis colonis filii occisoribus malè perdantur.
 Sic ergò cæci ac stolidi Sacerdotes primum non
 animadvertentes se suosq; mores hac parabola
 perstringi, gravem contra semetipsos ferunt sen-
 tentiam, postea verò ex verbis vel gestibus Chri-
 sti intelligentes in se vibrari parabolam, ac sua
 vitia in ea velut in speculo proponi, Matt. 21, 45.
 respondent, *absit*; retractantes, quod in genere
 prius concesserant. Hanc conciliationem probat
 ipsa series textus apud Matthæum. Quia enim
 Sacerdotes dixerant, *absit*, negantes sibi ut colo-
 nis vineæ hoc competere, quod filium patrisfa-

milias sint occisuri, & propterea malè perituri,
 ideò Christus id ipsum eventurum probat ex ora-
 culo Davidico, in quo disertè prædictum, quod
 architecti spiritualis ædificii, (qui sunt iidem cum
 colonis spiritualis vineæ) lapidem angularem
 sint reprobaturi, ac quod lapis ab architectis re-
 probatus sit futurus in caput anguli, Ecclesiam ex
 Judæis & Gentibus conjungens, ex quo sponte se-
 quitur, regnum Dei à Judæis ad Gentes esse trans-
 ferendum, & Judæorum proceres ob hunc Messie
 contentum malè perdendos. Quorum enim
 diceret CHRISTUS, ut est apud ipsum etiam
 Matthæum: *Nunquam legistis in Scripturis?* Nisi
 ex Scripturis perspicuis illud comprobatum
 dare voluisset, quod in parabola figuratè &
 obscurius propositum ipsi ad se pertinere ne-
 gaverant? De pœna, quam meriti erant coloni,
 Christo assensum præbuerant, sed cum in se cri-
 men illud, propter quod pœna ejusmodi afficien-
 di essent coloni, conferri sentirent, hoc ipsum
 deprecari sunt, Christus igitur hoc futurum ex
 Psalmo Davidico demonstrat. Sextò, verba il-
 la, *omnis qui ceciderit super hunc lapidem, confringe-
 tur &c.* apud Lucam immediatè subjunguntur
 verbis Davidicis, *lapis, quem reprobaverunt ædifi-
 cantes, factus est in caput anguli, &c.* inde quidam
 ea præponunt comminationi de auferendo à Ju-
 dæis regno. Sed Matthæus comminationem il-
 lam disertè præponit verbis de confractioe il-
 lius, qui super hunc lapidem ceciderit, nec ulla
 nos cogit necessitas, ut ab hoc ordine disceda-
 mus, quia utrumque, videlicet prædictio de ab-
 latione regni, & comminatio de fractura cadentis
 super lapidem, &c. consecrari loco ex ora-
 culo Davidico deducitur, ac neutrum verbis
 ipsis in eo continetur. Utrumque etiam conti-
 net prædictionem de pœnis Judaico populo e-
 venturis, ut in exegefi ostendetur.

Harmonia parabola de vinea ingratis agri-
 colis elocata.

Ἦρξεν ὁ πατρὶς τῆς λαοῦ λέγειν τῷ πατρὶ καὶ τῷ
 ἄλλῳ πατρὶ καὶ ἀκούσας· Ἄνθρωπος ὁ τις ἦν οἰκοδεσπότης,
 οὗτος ἐφύτευεν ἀμπέλωνα, καὶ περιέτριψε τὴν οἰκὸν αὐτοῦ
 αὐτῆς, καὶ ἄρσεν ἐν αὐτῷ σπολῆιον (λίθον) καὶ ὠκο-
 δμήσας πύργον, καὶ ἐξέδοτο αὐτὸν γεωργοῖς, καὶ ἀπέδη-
 μησε γενοῦς ἰσχυροῦς. καὶ ὅτε (ἡ) ἤγγισεν ὁ καιρὸς τῆς
 καρπῶν, ἀπέστειλε ἐν τῷ καιρῷ πατρὶς τῶν γεωργῶν δὲ
 λαοῦ, ἵνα ἀρσεν τῶν γεωργῶν λάβῃ (καὶ) δάσῃ αὐτῷ ἀπὸ τῆς
 καρπῶν τῆς ἀμπέλωνος. Οἱ ἡ γεωργοὶ λαβοῦσας αὐτὸν ἐ-
 δειραν (δείραντες) καὶ ἐξαπέστειλαν (ἀπέστειλαν) κενόν,
 καὶ πατρὶς τῶν γεωργῶν, καὶ πάλιν ἀπέστειλε πατρὶς αὐτοῦ
 ἄλλον ἑποσὸν δάσον, οἱ ἡ κενόν δειραντες (καὶ) λίθο-
 βολῆσας ἐκὸς φάλακρας καὶ ἀτιμάσας ἐξαπέ-
 στειλαν (ἀπέστειλαν) ἡτιμωμένον κενόν, καὶ πατρὶς τῶν
 γεωργῶν καὶ πάλιν ἄλλον ἀπέστειλε τρίτον. Οἱ ἡ κενόν
 καὶ τῶν γεωργῶν τραυμαλίζοντες ἐξέβαλον. (καὶ)
 ἐπέστειλαν. (ἔως ἐν αὐτῷ) ἀπέστειλε (ὁ οἰκοδεσπότης)
 τῶν δούλων αὐτοῦ πατρὶς τῶν γεωργῶν λαβῆν τῶν καρπῶν
 αὐτοῦ (καὶ) λαβοῦσας οἱ γεωργοὶ τῶν δούλων αὐτοῦ, ἐν

Capit autem dicere ad plebem parabolam hanc: A-
 liam parabolam audite: Homo quidam erat paterfamilias,
 qui plantavit vineam, & sepem ei circumdedit, (cir-
 cumdederat,) & fodit (foderat) in ea lacum (tor-
 cular) & edificavit (edificaverat) turrim, & locavit
 (elocaverat) eam agricolis, ac peregrè profectus est (&
 ipse peregrè egit) multo tempore. Et cum (autem) tem-
 pus fructuum appropinquasset, misit tempore oportuno
 (cum esset tempus opportunum) ad colonos (ad
 agricolas) servum, ut à colonis acciperet (&) darent
 ipsi de fructu vineæ. Coloni autem illi arreptum il-
 lum ceciderunt ac (casum) remiservunt vacuum. (Et
 addidit mittere) & rursus misit ad illos alium (vi-
 delicet) alterum servum. Illi verò huic quoque casu
 conjectis in eum saxis comminuerunt caput, & contu-
 meliis affectum remiservunt vacuum. (inanem.) (Et
 addidit mittere) & rursus alium misit (videlicet)
 tertium. At illi hunc quoque vulneribus inflictis, eje-
 cerunt (&) occiderunt. (Sic ergo, quando) misit
 (paterfamilias) servos suos ad agricolas, ut accipe-
 rent fructus ipsius, (&) agricola apprehensus servus

Harm. Tom. II. vel Gerbard. Contin. pars prim.



subjicitur consilio per vites, quia post introductionem in terram Canaan, ac solennem legis promulgationem & Canaanorum expulsionem secuta est hujus vineae consilio. 5. *Turris adificatio.* Per hanc intelligitur divina providentia, quae vigilans, & speculatores populo suo constituit, qui de futuris malis eum monerent. 6. *Torcularis constructio.* Per hoc significantur tum legales comminationes, tum reales conciones, quibus per crucem & calamitates ad ferendos pietatis fructus Deus populum suum excitare voluit. Sic ergo omnibus necessariis vinea fuit instructa, & undique pulcherrime exornata, ut jure ac merito Deus dicere poterit, v. 4. *Quid ultra debui facere vineae meae, & non feci in ea?* Quam verò gratiam haec vinea patrifamilias, id est, populus Israeliticus Deo reddidit? pessimam profectò. *Expectavi,* inquit, *Dominus, ut faceret uvas, & fecit labruscas.* vers. 7. sequitur explicatio: *Expectavi judicium, & ecce plaga; justitiam, & ecce clamor,* hoc est, peccata in caelum clamantia, vel clamores oppressorum. Num verò ad ingratitudinem illam Deus perpetuo conivēbit? minimè verò vers. 5. *Nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineae meae. Auferam sēpem ejus, & erit in conculcationem,* id est, non amplius eos protegā, sed dabo eos praedam hostibus, sicut vinea sublata maceria omnium depradationi, & ferarum conculcationi redditur obnoxia, Psal. 80. v. 13. *ponam eam in desolationem, non putabitur, & non fodiatur, ascendet vepres & spina, & nubibus mandabo, ut non pluviam super eam pluviam,* relinquam eam incultam, & infrugiferam, sicut vinea, quae non amputatur, nec circumfoditur, tota sylvescit. Per pluviam intelligitur verbum, & ei conjuncta Spiritus Sancti gratia; quando ista Deus vineae subtrahit, nil nisi vepres peccatorum, & spinae exitii consequi possunt. Ex hoc loco Prophetico deduxit Christus parabolam de vinea malis agricolis elocata, in qua itidem tria illa membra exponit, enumerat varia & eximia beneficia, populo Israelitico, per vineam praefiguratam, divinitus collata, conqueritur de extrema colorum, quibus haec vinea fuit elocata, ingratitudine, & praedicat poenam justo Dei judicio secuturam, ut ipsa collatio manifestè ostendat, ad Propheticum istum textum, & parallela veteris Testamenti loca Christum in hac parabola respexisse. Discrimen tamen in eo est, quòd Christus magis de cultoribus conqueritur, quàm de vinea, Esaias magis de vinea conqueritur, quàm de cultoribus, ut moneamur, nec cultores excusari per vineae sterilitatem, si suo ipsimet officio desint; nec vineam excusari per cultorum negligentiam, si ipsa loco virtutum proferat labruscas vitiorum, quia in hac vinea non facientibus officium suum colonis, quilibet debet sui ipsius esse cultor ac vinitor. Partes hujus pericopes tres sunt: 1. *Parabola recitatio.* 2. *Ejusdem ad Principes Sacerdotum accommodatio.* 3. *Eventus explicatio.*

Parabola recitationi praemittit Lucas descriptionem obiecti. *Capit autem dicere ad populum parabolam hanc.* Matthaeus & Marcus ad Sacerdotes, *Scribas & Seniores* eam dictam esse innuunt, quae non pugnare invicem, jam antè ostendimus. Quod enim Lucas ad plebem hanc parabolam esse dictam asserit, nequaquam hunc habet sensum, quod

Harm. II. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

Christus potentiam ac odium hostium subveritis ipsis absentibus ad plebem hunc parabolicum sermonem habuerit, in quo Sacerdotum improbitatem graviter perstrinxit, sed praesentibus & audientibus Sacerdotibus hanc parabolam populo proposuit, quia in re tum *παρηγορία* Christi observanda, quod imperterrito animo in faciem objecerit adversariis sanguinaria, quae animis suis fovebant, consilia. Johan. 19. v. 20. tum modus notandus, quo pertinaces & obstinati veritatis hostes tractandi. Matthaeus refert, Christum ejusmodi usum fuisse proœmiolo: *Audite aliam parabolam.* Per *ἄλλοτερον*, ad attentionem eos excitare voluit, sicut facere consueverat in parabolico docendi genere, Matth. 13. v. 9. Marc. 4. v. 9. Luc. 8. v. 7. *Qui habet aures audiendi, audiat.* *Audite,* inquit, quasi dicat, iterum vos pungo, ut ex vetero peccatorum excitemini. Vocat hanc parabolam *ἄλλοτερον*, aliam sive alteram, quia praemiserat eam, quae à solo Matthaeo recitatur, de duobus filiis à parente in vineam ablegatis, quam haec ipsa ordine convenientissimo excipit, ut in principio hujus capituli monuimus. Quia verò tota haec parabola ex Scriptura veteris Testamenti, cum primis ex capite quinto Esaiæ est petita; ideò notandum primò, quòd Christus hac ratione Scripturae Propheticae dignitatem & auctoritatem commendare voluerit. Potuisset *lingua Angelica*, imò plusquam Angelica loqui, 1. Cor. 13. v. 1. ac de mysteriis regni caelestis differere novis è caelo secum allatis verbis, sed utitur verbis Prophetis, sicut etiam Angeli in legationibus suis partes muneris sibi demandati, Prophetis verbis expediunt. Nec solum hanc parabolam maxima ex parte verbis veteris Testamenti contexit, sed etiam illud ipsum, quod in parabola propositum, à Sacerdotibus in dubium vocabatur, manifesto Scripturae oraculo ex Psal. 118. v. 22. petito comprobatur, ac in omnibus disputationibus, cum veritatis caelestis adversariis susceptis ad Scripturas provocat, ut earum *ἰσχυρίαν*, & auctoritatem verè divinam demonstraret. Secundò, quòd completa sit in Christopropheta, Es. 5. 1. ubi Propheta in parabola vineae populi Judaici improbitatem taxaturus concionem illam *vocat canticum dilecti, & parvulus sui*, hoc est, ipsius Christi, qui est dilectus Dei filius secundum divinam, & cognatus Esaiæ secundum humanam naturam, quique est verus Jediah, *Dilectus Domini*, Esa. 42. v. 1. Matt. 3. v. 17. cujus typus fuit Salomon, Matth. 12. 41. Jediah à Nathane dictus, 2. Sam. 12. v. 25. Ideò enim inter cetera concio illa vocatur canticum Christi, quia Christo in diebus carnis suae similitudo vineae futura erat usitata, ut ostendit non solum praecedens, & haec ipsa parabola, sed etiam illustris concio, Joh. 15. 1. & seqq. Huic proœmiolo subjicitur ipsa parabola recitatio, cujus membra principalia sunt tria. Primum exponit *patrifamilias* in vinea plantanda, & omnibus necessariis exornanda *sedulitatem*, inque eadem agricolis locanda *bonitatem*, ac requirenda certa fructuum parte *aquitatem*. Alterum describit *colorum* *perversitatem* & crudelitatem, quod non solum debitos patrifamilias fructus denegant, sed etiam servos ejus iniquissimè tractant, imò filium ipsius nefariè enecant. Tertium praedicat *justissimam poenae severitatem*, quae ingratos & pessi-

Ec 2

peffimos illos colonos certò sit securura. Primum membrum enumerat varia beneficia in vineam à patrefamilias collata. *Homo quidam erat paterfamilias, qui plantavit vineam, & sepem ei circumdedit, & fodit in ea torcular, & edificavit currim, & locavit eam agricolis, ac peregrè profectus est multis temporibus. Per hominem patrefamilias intelligitur Deus, omnium creatorum, ac proinde etiam vinea Dominus, ut colligitur ex Matth. 21, 40. & Marc. 12, 11. Quare is comparetur homini, in præcedente parabola est expositum. Sufficere poterat, si dixisset Christus: *Erat quidam paterfamilias*, sed emphaticè addit, erat quidam homo, paterfamilias, quia ex plantatione vinea, id est, ex collectione Ecclesiæ ex genere humano, vel maximè Dei bonitas, & *Φιλανθρωπία* elucet. Idem vocatur paterfamilias, vel ut Syrus habet, *Dominus domus*, non solum hoc loco, sed etiam Matth. 13, 27. c. 20, 1. Luc. 13, 25. c. 14, 21. respectu totius mundi, quem gubernat, & omnia in eo administrat. Lyranus in c. Matth. 21. *Deus dicitur paterfamilias, quia sic gubernat totam creaturam, sicut paterfamilias gubernat subditos in domo. Quamvis verò peculiari quadam ratione Ecclesia dicatur Dei domus*, Pl. 84. v. 5. 1. Tim. 3, 15. 2. Tim. 2, 22. Hebr. 3. v. 2. & 6. tamen cum in hac parabola Ecclesia comparetur vinea, concinnius est per domum, cujus respectu Deus comparatur *οικοδεσπότης*, intelligere totum mundum, cælum & terram cum omnibus creaturis, visibilibus & invisibilibus, spiritalibus & corporalibus, animatis & inanimatis, quas ut Deus potentia sua primitus condidit, ita providentia sua adhuc hodie tuetur, regit & moderatur. Quidam triplicem familiam Deo assignant, *triumphantem* in cælo, *militantem* in terra, *trepidantem* in gehenna. Sed quamvis Dæmones, & animæ damnatorum, pertineant ad familiam Dei *ratione potestatis & jurisdictionis*, Phil. 2, 10. videntur tamen à familia Dei potius exclusi *ratione abjectionis à facie Dei*, sicut immorigeri fervi ad perpetuos carceres damnati, à familia Domini domus excluduntur. Per vineam Irenæus lib. 4. c. 70. universum genus humanum, & Athanas. quæst. 13. p. 324. totum mundum intelligunt. Sed quia ex scopo parabola apparet, Christum exaggerare beneficia, populo Israëlítico peculiariter à Deo præstita, ideo primario ac principaliter per vineam intelligitur Ecclesia Israëlítica veteris Testamenti, (de qua in V. Testamento, & nomen vinea, & verbum *Φυτεύειν*, sæpius usurpatur, Exod. 15, 17. Pl. 80, 9. Esa. 5, 2. Jer. 2, 21. ut sic ipsum vocabulum applicationem monstret) secundo & consequenter Ecclesia Christiana Novi Testam. ad quam regnum Dei, hoc est, vinea illa propter improbitatem colonorum fuit translata, ut colligitur ex Esa. 5, 7. & ex accommodatione parabola, Matth. 21, 43. Comparatur autem Ecclesia vinea 2. *propter Scripturæ dicta*, usitatissimum enim est in veteri Testamento Ecclesiam describi sub nomine vinea, Deut. 32, 32. Pl. 80, 9. Cant. 2, 12. c. 6, 10. c. 7, 21. Esa. 3, 14. c. 5, 1. c. 60, 21. Jer. 2, 21. c. 12, 10. Ezech. 17, 6. Joel. 1, 7. &c. 2. *propter typos*. Gen. 9, v. 20. de Noah dicitur, *quod vineam plantaverit*, sic Christus est cælestis Noah, & consolator, qui ex diluvio passionis per gloriosam resurrectionem liberatus iussit prædicari in nomine suo penitentiam & remissionem peccatorum, Luc. 24, 47.*

per quam prædicationem Ecclesiam ex genere humano sibi collegit, sicque spiritualement vineam plantavit. Augustinus lib. 16. de civ. Dei c. 2. hanc comparisonem latius diducit: *Quod Noah bibens ex fructu vinea, quam plantaverat, denudatus est, & à Chamo irrivus, illo significatum est, quia vinum est fructus vinea, quod ex ipsa vinea, hoc est, ex genere Israëlitarum carnem pro nobis & sanguinem, ut pati posset, assumpsit & inebriatus est, hoc est, passus & nudatus*, Esa. 52, v. 2. *Ibi namq; nudatus est, id est, apparuit ejus infirmitas, de qua dicit Apostolus: Et si crucifixus est ex infirmitate. Quod verò cum dictum esset, & nudatus est, addidit Scriptura, in domo sua, eleganter ostendit, quod à suæ carnis gente, & domesticis sanguinis sui, utiq; à Judeis fuerit crucem, mortemq; passurus. Hanc passionem Christi foris, in sono tantum vocis reprobi annunciant, non enim, quod annunciant, intelligunt. Probi autem in interiore homine habent tam grande mysterium, atq; honorant intus in corde infirmum, & stultum Dei, quia fortius & sapientius est hominibus. Hujus rei figura est, quod Chàm exiens hoc nunciavit foris, Sem. & Japheth, ut hoc valerent, hoc est, honorarent, ingressi sunt, id est, intus id egerunt, &c. Sicut pius Naboth propter vineam suam occiditur, 2. Reg. 21. v. 13. sic Christus propter Ecclesiæ suæ vineam est occisus. Sicut Salomonis vinea fuit ante ipsum, & coram oculis ejus preciosa, Cant. 8. v. 11. sic Christus caram habet suam vineam, qui carè eam emit. 3. *propter vinearum in terra Palæstina frequentiam*. Parabola solent duci ab illis, quæ sunt usitata, & omnibus obvia, jam verò regio, quam inhabitabat populus Israëlítico, abundabat vinetis, Deut. 8, v. 8. 4. *propter convenientiam*. Varia autem dari possunt comparisonis membra. Convenit Ecclesia cum vinea: 1. *in preciositate*. Ut enim inter prædia, quæ in terris habentur, preciosissima sunt vinea ac proinde magno studio coluntur: *Nulla possessio preciosior*, inquit Cato de re rustica, *nulla majore operam requirit*: ita Deus nihil carius ac preciosius habet sua Ecclesia, quam sanguine filii sui acquisivit, Actor. 20. v. 28. quam Martyrum sanguine irrigat, & in qua excolenda ad summam diligentiam nihil relinquit. 2. *In plantationis necessitate*. Vineam non producit fructus spontè, sicut prata producunt gramina, sed necessarium est, ut vinea prius plantetur; vinea naturalis nihil profert, nisi labruscas: sic post lapsum per Naturam non producimus bonorum operum fructus, sed requiritur, ut in vineam Domini, id est, in Ecclesiam transplantemur. 3. *In laboris varietate*. In vinea perpetuò laborandum, modò fodiendum, modò vites palis annectendæ, modò sarmenta tollenda, modò palmites impinguandi, &c. nihil fructus ex vinea sperari potest, nisi perpetuo colatur: ita quoque in Ecclesia perpetua requiritur cultura, manent in piis, qui sunt palmites hujus vinea, peccati & carnis reliquiæ, quæ nisi per verbum & crucem divinitus amputentur, facile degenerant in vitiorum labruscas, Joh. 15. v. 2. *Omnem palmitem ferentem fructum Pater meus mundabit*. 4. *In palmitum conditione & qualitate*. Columella dicit, esse quosdam palmites *pampinarios*, quosdam verò *fructuarios*, sic in Ecclesia quidam sunt hypocritæ, quidam verè pii fertiles in bonis operibus. Palmes in loco pingui*

pingui plantatus & non amputatus pampinis quidem luxuriat, sed nullos affert fructus: sic facile contingere potest, ut in renatis caro dominetur & verborum folijs duntaxat sese vendent line verò pietatis fructu, nisi adhibeatur putatio. Cant. 2. v. 12. Si fructus vineæ maturefcere debent, non permittendum, ut palmites in terra recumbant, alias putrescunt, sed palis annexi in altum sunt erigendi: ita quoque palmites spiritualis vineæ ea, quæ sursum sunt, quærere debent Col. 3. v. 1. caveant sibi ab inquinamenti mundi & verbo Christi, quod baculus est & virga Psal. 23. v. 4. constanti fide adhæreant. Palmites non ferunt fructum nisi maneat in vite, extra vitem nullus eorum usus Ezech. 15. v. 3. sic nisi in Christo vera ille vite maneamus, nullum boni operis fructum proferre poterimus Joh. 15. v. 4. *Alterum horum palmiti convenit, aut vitis aut ignis.* v. 6. Aug. tract. 81. in Joh. 5. in externa specie vilitate. Nihil humilium & quoad externam speciem vilium ligno vitis, quod tamen profert fructum suavissimum & preciosissimum, qualem nec proceræ arbores ferre possunt: sic Ecclesia contempta & abjecta est coram mundo, sed preciosa coram Deo, profert fructus justitiæ ipsi gratos & acceptos. Sicut vinea tempore brumali nivibus ac pruinis latet contecta, ætatis autem tempore iterum progerminat, ubi ipsius decor & præstantia conspicitur: sic Ecclesia in hac vita cruce & calamitatibus ut plurimum latet oppressa, ut interior ejus decor non incurrat in oculos hominum. Taulerus dicit palmites hujus vineæ, hoc est, veros Christianos esse in hoc mundo viles & abjectos, cum tamen interius succum cœlestem habeant, sed in ætate futuræ vitæ eorum decor conspicietur. Ambrosius in Lucam p. 145. alia affert comparationis membra: *Rectè inquit, vinea Christi populus nominatur, vel quod crucis in fronte prætexat indicium, vel quod fructus ejus postrema anni legatur ætate, vel quod omnibus ut ordinibus vinearum, ita pauperibus atque divitibus, humilibus atque potentibus, servis ac Dominis in Ecclesia Dei aqua dimensio, nulla discretio sit. Ut vitis maritatur arboribus, ita corpus anime, anima quoque corpori conjungatur. Ut vinea, dum ligatur, erigitur & recisa non minuitur, sed augetur: ita plebs sancta dum ligatur, exiit; dum humiliatur, attollitur; dum reciditur, coronatur &c.* Posset etiam haud absurdè cogitari, populum Israeliticum propterea comparari vineæ, quia ex illo proditurus erat Christus vitis illa vera, cui omnes pii quasi palmites vera fide inserti fructus ferunt Deo gratos, quod quidam ex veteribus accommodant dictum Propheticum Esa. 5. v. 7. *Vir Juda;* hoc est, ex tribu Juda oriundus, videlicet Christus est *delectabile ejus.* Sed præcipuam causam, propter quam Ecclesia tam Vet. quam Nov. Testament. vineæ comparetur, Christus ipse in hac parabola exponit, videlicet qua tot ac tanta beneficia Deus in Ecclesiam impendit, quot & quanta nullus paterfamilias in vineam suam confert. Primum est plantatio. Homo quidam erat paterfamilias qui ἐφύτευσεν ἀμπέλωνα. In utroque vocabulo studii ac diligentia significatio continetur, φύτευεν enim est ὀπιμελῶς κατεργάζεσθαι, hinc φυλάττειν dicuntur, quæ singulari cura ac studio sunt producta, ac φύτευεν δόλον dicuntur, qui singu-

lari studio alicui insidias struunt. Quia ergo vineæ cultura magnam requirit diligentiam, cum nulla sint terræ nascentia, in quibus plus laboris & operæ agricolæ est ponendum, inde usitatissimum est φύτευεν de vineæ plantatione usurpari Gen. 9. v. 10. Deut. 20. v. 6. cap. 28. v. 30. Psal. 106. v. 37. &c. Vulgata versio apud Marcum reddidit per *pastinavit.* Pastinare autem significat fodere, quod magni laboris esse constat. ἀμπελῶν quibusdam dici videtur quasi ἀμπαράη, cum qua sit perpetuò luctandum, cum plurimos eosque continuos requirant labores. Multa autem complectitur vox *plantandi* de vinea usurpata: 1. Vineæ, quam paterfamilias suis manibus plantavit, ipsi longè carior est, quam illa, quam vel ex hereditate, vel emtione, vel donatione obtinet; indicatur igitur amor, quo cœlestis ἀμπελοφύτευεν Ecclesiæ suæ vineam complectitur, quam *plantavit dextra ipsius.* Psal. 80. vers. 16. 2. Qui vineas plantant, de loco idoneo cogitant: ita quoque Ecclesia Israelitica in fertilissima terra Canaan fuit plantata, unde Esa. 5. vers. 2. *in cornu in silio olei,* hoc est, in pingui & fertili, monte dicitur *plantata.* 3. Qui vineas plantant, delectum inter vites instituunt: id ipsum Deus in plantatione hujus vineæ observavit, unde dicitur *constitit vitibus forek* hoc est, optimi generis Esa. 5. vers. 2. 4. Solent etiam loca illa, in quibus vineæ plantari debent, prius elapidari, id ipsum Deus populo suo præstitit, quando Cananæos ante ipsos ejecit. Psal. 44. vers. 3. Psal. 80. vers. 9. Auctor oper. imperf. in Matth. hom. 4. *Quemadmodum vinitor studiosus primum omnes in circuitu infructuosas sylvas excidit & sic postea plantat, ne forte arbores lascivientes, dum huc & illuc per longa spacia ramos suos exporrigunt, adhuc tenerum effocent malleolum: sic Deus gentes sine fructu justitiæ constitutas excidit & sic collocavit Israel, ne forte gentes indisciplinate dum in longum terminum suæ dominationis extendunt, affligant populum Dei novitium.* 5. Plantatio complectitur etiam irrigationem, sicut hæc duo conjunguntur 1. Cor. 3. vers. 6. quæ enim plantata sunt, ea indigent irrigatione, significatur igitur, quod Deus rore gratiæ suæ & imbre Spiritus sancti Ecclesiam iriget, unde minatur Deus Esa. 5. vers. 6. *quod mandare velit nubi-* bus, ne pluant super vineam labruscas utrarum loco profertentem, sicut antea fecerant. 6. φύτευεν usurpatur etiam pro *firmare ac roborare* Exod. 15. vers. 17. 2. Sam. 7. vers. 10. sicut etiam Hebræum הוציא quod LXX. reddiderunt per φύτευεν ac verbum הוציא quo Syrus hoc loco utitur, significat *in terram insigere, firmiter insigere,* quæ significatio & parabola & rei per parabolam significatâ pulchrè congruit. Vites enim solent altè in terram defodi, ne ventorum impetu eradicentur, ac Deus populum suum in terra Canaan ita plantavit, ut stabiles, florentes ac felices in ea permanent, sicut planta terræ infixæ manet stabilis & immota. Exod. 15. vers. 17. *Introduces eos & plantabis eos in monte hereditatis tuæ,* Targum & *collocabis eos.* 2. Sam. 7. vers. 10. *Et ponam locum populo meo Israel & plantabo eum,* (Targum, & *stabiliam eum*) & *habitas sub eo, nec movebitur,* ubi non solum Chaldaica paraphrasis, sed etiam subjecta exegesis hanc plantandi significationem comprobant. Psal. 44.

verf. v. 3. *Tu manu tua gentes expulisti & plantasti eos, ut non transferantur ex terra sua, sicut arbor loco suo non dimovetur.* Amos 9. verf. 15. *Et plantabo eos super terra ipsorum & non evellentur amplius de terra sua.* 7. Inde est, quod plantatio vineæ Israelitica tribuitur dextræ divinæ Pfalm. 80. verf. 16. Solet enim dextra favoris & gratiæ, item roboris ac potentiæ indicium esse, ut hac ratione in Ecclesiæ collectione misericordia & potentia Dei agnoscenda nobis proponitur. 8. Denique qui vineam plantat, illud sibi commendatum habet, ut vinea crescat ac late diffundatur, unde patentes & apertos colles in vineæ plantatione eligit: Idem beneficium vineæ Israeliticæ à Deo præstitum Pfalm. 80. verf. 10. *Evacuasti ante eam & radicare fecisti radices ejus & implevit terram.* verf. 11. *Operi sunt montes umbra ejus & rami ejus ut cedri altissimi.* verf. 12. *Misisti palmites ejus usque ad mare (mediterraneum) & ad flumen (Euphratem) propagines ejus; eo enim usque termini vineæ Israeliticæ sese extenderunt.* Quod pertinet, quod in parabola paterfamilias dicitur plantasse ἀμπελόνα. Quamvis enim ἀμπελόνα quandoque simpliciter usurpetur pro ἀμπελώ, sive vinea, propriè tamen significat vineum sive locum multis vineis constitutum, sicut ἐλαῶν est locus oleis abundans, quia Israelitica Ecclesia multas particulares Ecclesias, quarum caput fuit Hierosolymitana, gremio suo est complexa. Quando verò plantaverit Deus hanc vineam suam? Irenæus lib. 4. cap. 70. dicit, quod plantaverit eam per plasmationem Adæ. Et sanè in prima creatione ἐφ' ὅτι οὕτως plantaverat Deus Paradisum Genes. 2. verf. 8. inque eum collocaverat primos homines, qui fuerunt pulcherrima Dei vinea, virgulum plantationis Dei & opus manuum ejus, ut glorificarent eum Esai. 60. v. 21. erant rore divinæ gratiæ ad fructificandum perfusi, sed per peccatum planè degenerarunt, ut meritò de illis usurpari posset oraculum divinum Jerem. 2. v. 21. *Ego plantavi te optimam vitem totam ipsam, semen verum & quomodo mihi conversa es in sarmenta vitis alienæ? rectè alienæ, quia ad infernalem latronem & furem potiùs fructum retulerunt, quam ad vinitorem Deum.* Denuò igitur ex immensa misericordia post lapsum protoplaston Deus vineam plantavit, hoc est, per verbum Evangelii colligere sibi cœpit Ecclesiam, recepit primos parentes in gratiam propter promissum semen mulieris, eosdemque veræ viti, quæ Christus est, per fidem inseruit. Author imperfecti operis in Matth. dicto loco hanc vineam plantatam statuit, quando Deus Abrahamum vocavit ex Ur Chaldæorum, ipsique promissionem de multiplicatione generis, de possessione terræ Canaan & de Messia ex semine ipsius nascituro dedit Genes. 12. verf. 1. capit. 13. verf. 16. capit. 15. verf. 5, &c. *Plantatus est, inquit prænominatus auctor, populus primum in Abraham, quando locutus est ad eum Deus: Exi de terra tua &c. ex eo enim facta est vocatio seminis ejus.* Ac posset sanè etiam hoc ad plantationem vineæ Dominicæ referri, quod genere humano per diluvium extincto ex reliquiis ejus Ecclesiam sibi colligere cœpit, in cuius rei signum Noahu vineam plantasse dicitur Genes. 9. verf. 20. quodque Deus Abrahamum ex

medio idololatrarum cœtu vocavit, ac promissionem de futuro semine repetivit, tunc enim Patres Israelitici populi elegit, qui sunt plantæ vitis optimæ à quibus tanquam primordiis Ecclesia Israelitica est ædificata. Augustinus sermon. 59. de verbo Domini vineam hanc plantatam existimat, quando Deus legem suam populo Israelitico promulgavit, per quam notitiam sui in animis eorum quodammodo plantavit. Sed ex collatione parallelorum Scripturæ locorum colligitur, tunc potissimum hanc vineam fuisse à Deo plantatam, quando populum Israeliticum ex Ægypto in terram promissionis introduxit, inque eam stabilem & fixam sedem illi assignavit. Exceverant quidem posterius Abraham in populum, cum in Ægypto habitarent & instar vineæ fructificarent Pfalm. 105. v. 23. sed cum ab idololatriis & Tyrannicis gubernatoribus in Ægypto opprimerentur, transtulit Deus hanc vineam suam in terram promissionis & eiecit Canaanis tanquam lapidibus & spinis illic eam plantavit & radicare fecit. Ita hanc plantationem exponunt Moyses, David & Esaias. Exod. 15. verf. 17. *Introduces eos & plantabis eos in monte hereditatis tue.* Pfalm. 44. verf. 3. *Tu manu tua gentes expulisti & plantasti eos* Pfalm. 80. verf. 9. *Vitem ex Ægypto transtulisti, eiecasti gentes & plantasti eam.* Esai. 5. verf. 2. *Elapidavit & plantavit eam.* Ex quibus locis manifestè colligitur, quod tunc præcipuè Deus hanc vineam plantaverit, quando gratuita suæ promissionis & adoptionis memor populum Israeliticum ex Ægyptiaca servitute liberatum denuò in peculium sibi ascivit, seque in Deum & Patrem ipsi fore testatus in terram Canaan ad fructificandum sari idoneam introduxit. Quia verò plantatio illa etiam ad Ecclesiam Nov. Testamenti pertinet, ad quam regnum Dei, hoc est, vineæ Dominicæ decor est translatus, ideo admonet nos hæc plantatio tum de miranda Dei benignitate, cui soli acceptum ferendum, quod vineam plantat, hoc est, Ecclesiam ex genere humano sibi colligit, tum de Naturæ nostræ conditione & perversitate. Natura post lapsum omnes sumus botri sylvestres, ampelos agraria, vitis agrestis, ut Plinius libr. 23. cap. 1. labruscas vocat, extra statum gratiæ competit omnibus hominibus, quod habetur Deuter. 32. v. 32. *Et vite Sodome vitis eorum & ex vitibus Gomorri hæc vinea eorum, vinea veneni botri amari est.* verf. 33. *Venenum Draconum vinum eorum & venenum aspidum erudelis;* sed Deus ex mera gratia in vineam Ecclesiæ suæ nos transfert, inserit nos viti cœlesti CHRISTO tanquam palmites, ne cum reliquis sylvestribus sarmentis in ignem abjiciamur. Ezechiel. 15. verf. 2. Johan. 15. verf. 6. *Omnis enim plantatio, quam non plantavit Pater cœlestis, eradicabitur.* Matth. 15. verf. 13. *Et omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excinditur & in ignem mittitur.* Matth. 3. verf. 10.

Hoc ergo primum beneficium est, quod DEUS vineæ suæ impendit, videlicet quod eam plantavit. Sed quia non sufficit vineam plantari, ideo in parabola additur, quod paterfamilias vinea à se plantata sepem circumdederit, & torcular in ea foderit & turrim ædificavit. Quidam statuunt

trunt per sepem, torcular & turrim unum quid significari, videlicet, Deum fecisse Ecclesiam Israhelice, quicquid facere debuit, ut bene custodiri & coli posset, adeoque prospexisse illi de omnibus tum ad fructificationem tum defensionem, tum ornatum necessariis. Illorum sententia probari posset ex eo. 1. Quod Lucas hæc omnia tanquam ad parabola potius compositionem, quam peculiarem aliquam significationem pertinentia prætermittit ac simpliciter dicit: *Homo quidem plantavit vineam.* 2. Quod apud Esaiam, ex quo hæc parabola maxima ex parte est transumpta, generalis clausula loco additur c. 5. v. 3. *Judicate nunc habitatores Jerusalem inter me & vineam meam.* v. 4. *Quid ultra debui facere vineæ & non feci in ea?* Videtur igitur Christus per certarum specierum enumerationem exprimere genus, dum proponit quædam eorum, quæ domini vinearum facere solent, antequam eas eloent, ut coloni nihil desiderare vel obvertere possint, quò minus vineam sibi elocatum diligenter colant, & fructus ex pacto debitos fideliter reddant. Solet enim, qui vineam plantat, primum sepi eam munire adversus ferarum devastationem & furum irruptionem; deinde torcular ad colligendam vindemiam & premendas uvas ædificare; ac porro etiam turrim extruere partim ad ornatum, partim ad custodiam, ut vinitor ex ea speculari possit, ne quis per vim irruat ac vineam depopuletur. Sic ergo foret sensus, Deum nihil quicquam eorum prætermisisse, quæ ad Israhelici populi prosperitatem & fructuum profendorum oportunitatem requiri poterant. Sed quia non solum Esaias, verum etiam Christus ipse ut ex Matthæo ac Marco colligitur, specialiter hæc operas patrisfamilias exprimunt, & quia per singulas peculiaris beneficia populo Israhelico præstita optimè intelligi possunt, idèò rectius statuitur, non solum ob parabola contextum & compositionem, sed etiam ob rei per parabola denotata significationem hæc esse addita. Quemadmodum enim in tabella summo artificio picta, si singulas partes seorsim considerentur, magis apparet artificis industria: ac velut in prato pulcherrimo diversorum colorum floribus exornato, si flores singuli separatim explorentur, evidentius elucet Dei creatoris bonitas & sapientia: ita quoque si in specie considerentur beneficia, quæ cælestis patrisfamilias vineæ suæ impendit, magnitudo eorum melius intelligi & æstimari poterit.

Alterum igitur beneficium, quod Deus vineæ Israhelice impendit, est *sepi circumductio.* *Ἐπέκεινεν αὐτῇ φράγμον,* circumposuit illi sepem. Desumptum hoc est ex Psalm. 80. v. 13. & Esa. 5. v. 2. & 5. Habentur autem ibi in textu Hebræo tres sepimenti appellationes. Vocatur enim primo גֵּרַר & in feminino גֵּרַרָה *septimentum*, maceria ex congerie lapidum vel lignorum constructa à rad. גֵּרַר cui cognatum est גֵּרַר quo Syrus hoc loco utitur, *sepere, & allavit.* Deinde apud Esaiam v. 2. usurpatur verbum קָן quod semel tantum in Scripturis occurrit ac cognitionem habet cum radice קָן *roboravit, firmavit*, ut sepimenti robur indicetur. Denique v. 5. habetur vox מְשִׁיבָה à rad. מָשָׁב *vepribus sepere* Job. 1. v. 10. Significat igitur

Harm. Tom. II. vel Gerhardsi Contin. pars prima.

sepem spinarum, quæ juxta lapidum maceriam vineæ circumdatam plantatur, ut sic duplex vineæ munimentum denotetur. Syrus habet nomen מְשִׁיבָה quod propriè sepimentum ex lapidibus constructum significat. In eandem sententiam quidam accipiunt verbum מְשִׁיבָה quod Esa. 5. v. 2. additur. Hieronymus reddidit *elapidavit* sive lapides ex vinea collegit, ne fructificationem vineæ impedirent. Quia verò ex lapidibus è vinea collectis industrius paterfamilias solet maceriam construere, idèò LXX. reddiderunt *ἐχαρακωσεν τὸ ἄλλο μῆλον*, quo sensu etiam verbum illud vertit Lutherus. Et hat ihn mit Steinhaußen verwahret. Sed quia sepimenti jam antè facta erat mentio, idèò convenientius מְשִׁיבָה per antiphrasin positum accipitur, ut sit sensus, *lapides ex ea removit, lapidibus eam purgavit*, in qua significatione etiam hoc vocabulum ponitur Esa. 62. v. 16. מְשִׁיבָה, ubi LXX. reddiderunt *τὰς λίθους διαψύχαστε, lapides removete*, sicque non ex significatione verbi, sed ex eo, quod elapidationem consequi solet, versio Græca & Lutheri Germanica descendit. Quid verò per *sepem* vineæ Dominicæ circumpositam intelligendum sit, de eo variant Interpp. sententia: 1. Irenæus d. l. *sepem* intelligit terminos populo Israhelico in terra Canaan divinitus constitutos. *Circumdedit sepem*, inquit, *hoc est circumterminavit eorum culturam*, quæ interpretatio probari posset ex eo, quod finis sepimenti etiam is sit, ut constituat certos terminos, quibus a vicinis prædiis vinea distingatur. 2. Huic expositioni affinis est ea, quæ per *sepem* intelliguntur *leges Ceremoniales & forenses*, quibus populus Israheliticus à gentilibus velut sepimento quodam distingebatur, inde cum in parabola Luc. 14. v. 23. Christus gentium vocationem significare vellet, dixit servum vocantem ad cœnam cælestis patrisfamilias abire jussum *in viam & φραγμὸς*, ac quando Paulus significare vult separationem populi Judaici à gentilibus in N. T. esse sublatam, dicit Ephes. 2. v. 14. per Christum sublatum esse *τὸ ἰερότοιχον τῆς φραγμῆς*, quò referri posset locus Galat. 3. v. 23. *priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi.* 3. Eodem fere sensu Hilarius can. 22. in Matth. dicit, *sepem esse nomen Abraham, Isaac & Jacob, quò Judæi à cæteris gentibus distinguebantur.* 4. Autor imperf. oper. homil. 40. per *sepem* in genere intelligit *legem & præcepta Domini*, per eam enim concludebantur & coercebantur Israhelita, ne per inobædientiam excurrerent & quicquid liberet, facerent; per obædientiam legi divinæ præstitam munebantur adversus suos hostes, Deut. 28. v. 9. *Si custodieris præcepta mea, videbunt omnes populi terræ, & timebunt te.* Quam diu fuerunt Israhelita huic sepimento inclusi, non solum ab hostibus fuere tuti, sed illis etiam formidabiles, dirupta autem per transgressionem hac sepi, facti sunt præda hostibus. Hæc sepes contexta fuit spinis Sirac. 28. v. 28. hoc est, divinis comminationibus ignavos & otiosos pungentibus; qui hanc *sepem* dissiparunt, morsum infernalis colubri senserunt Eccles. 10. v. 8. 5. Quia vero præcipuus finis sepimenti est custodia, idèò illa cum primis hoc loco per *sepem* vineæ circumpositam intelligitur, quod ipsum facile apparet ex antithesi Psalm. 80. vers. 12. *Ut quid dirupisti macerias ejus &*

Ee 4

colli-

colligerunt eam omnes transeuntes per viam! Psalm 89. vers. 41. *Destruisti omnes macerias ejus, posuisti munitiones ejus contritionem.* vers. 42. *Diripuerunt eam omnes transeuntes per viam.* Esa. 5. vers. 5. *Removebo sepem ejus & erit in direptionem, diruam maceriam ejus & erit in conculcationem.* Ergo sepem vineæ est munimentum illud, quo populus Israëliticus contra hostes suos divinitus fuit circumvallatus. Illud verò fuit varium & multiplex. Dedit enim Deus huic populo civitates muris cinctas, munitas usque in caelum, ut loquitur Moses Deut. 9. v. 1. *roboravit veteres portarum.* Psalm. 147. v. 13. *dedit illi Judices, Reges & Duces, qui egrediebantur ante eos & pugnant contra hostes.* I. Sam. 8. v. 20. unde Leontius dicit, per sepem intelligi potestatem temporalem & Regiam munientem filios Israel; dedit ei viros fortes & bellicosos, qui hostibus erant terrori, unde gloss. interlin. dicit per sepem intelligi custodiam bellicosorum virorum: dedit illis verbum suum & honestas leges, quæ sunt munimentum Ecclesiæ & Reipublicæ Psalm. 247. v. 19. circumvallavit hunc populum per custodiam Angelorum Pf. 34. v. 8. qui sapius ex maximis periculis eum liberarunt 2. Reg. 6. v. 17. c. 19. v. 35. unde Hieronymus in c. 21. Matth. dicit: *Per sepem intelligitur vel murus urbis vel Angelorum custodia: cum primis verò Deus ipse providentiæ suæ tutela hunc populum circumvallavit, ne circumjacentibus hostibus esset direptioni.* Pf. 125. v. 2. *Montes sunt in circuitu Jerusalem & Dominus in circuitu populi sui ex hoc tempore usque in seculum.* Zach. 2. v. 5. *Ego ero murus igneus in circuitu,* inde Ambrosius in c. 20. Luc. p. 144. *per sepem divine custodie munitionem intelligit, quæ Deus populum suum vallavit, ne facile spiritualium pateret incuribus bestiarum, ne vel fraudulenta vulpecula hanc vineam corrumpere Cantic. 2. v. 15. vel violenti apri eam devallarent Pf. 80. v. 17. Idem verò beneficium præstitit Deus & adhuc præstat Ecclesiæ N. Test. & singulis verè piis mysticæ hujus vineæ palmitibus, instructa est hæc civitas muro magno & alto, habente duodecim portas & in portis Angelos duodecim Apoc. 21. v. 12. & murus hujus civitatis habet fundamenta duodecim & in ipsis nomina duodecim Apostolorum Agni v. 14. Christus ab Apostolis prædicatus est protector Ecclesiæ suæ, ac sancti Angeli adversus hostium impetus eandem custodiunt.*

Tertium beneficium in vineam collatum est torcularis effossio Esa. 5. v. 2. torcularis extructioni præmittitur turris adificatio, & quia additur, *torcular extruxit in ea*, ex eo colligunt Hieronymus & Cyrillus, quod torcular in ipsa turri extructum fuerit, & quia per turrim templum, per torcular verò altare intelligunt, ideò rei significatæ hæc explicatio non male congruit. Sed quia & vineæ & turris nomen in textu Hebræo est ejusdem generis, ideò προσδοκισμός in ea ad vineam & turrim referri potest, quamvis in turribus sive domibus in vinea extructis communiter torcularia soleant extrui. Apud Matthæum & Marcum torcularis fossio præmittitur adificationi turris, quem ordinem meritò retinemus, ληνός proprie significat locum preli torcularii, οπις σταφυλή πηλ' εσαι, ubi uvæ prelo exprimuntur. Pollux, ληνόν vocari dicitur, cui ἐμπαρῆνται αἱ σταφυλαί, in quo calcantur uvæ, torcular calcatorium, inde ληνάϊ

vocatus est Bacchus, qui torcularibus & vini expressioni præesse fingebatur. In metaphorica significatione de ira divinæ torculari homines uvarum instar premente usurpatur Apoc. 14. v. 19. & 20. c. 19. v. 15. Vulgatus interpres reddidit per lacum vel quia mos veterum erat in terra fossam parare in qua torcular extrueretur, vel via olim effossis lacunis vitum recens excipi fuit solitum, unde etiam torcular hoc loco dicitur fossum. Quidam versione Latini Interpretis seducti existimant per ληνόν intelligendam hac loco fossam, quæ ad aquam irrigationis causa excipiendam fuerit parata, idque postea applicant ad verbum Dei, quod est fons vitæ & aqua viva vineam Ecclesiæ irrigans & ad colonos hujus vineæ, qui debent plantare & rigare 1. Corinth. 3. vers. 6. sed quia vineæ non solent irrigari hominum manibus, & quia ληνός non nisi de lacu vini excipiendi causa extructo accipitur, ideò rectius de lacu torculario exprimitur, uti etiam ex Esa. 5. v. 2. qui locus hinc nostro parallelus est, manifestè colligitur, ibi enim habetur nomen ληνός significans proprie fossam ante prelum, quæ vinum ex prelo defluens excipit, à rad. נקב fodit. Num. 18. v. 27. Jud. 7. v. 25. Zach. 14. v. 10. Alibi LXX. utuntur nomine ληνός pro Hebr. נֶבֶל quod est proprie vas, in quo contunduntur sive calcantur uvæ Jud. 6. v. 11. Nehem. 13. v. 15. Esa. 63. v. 1. Thren. 1. v. 16. Joel. 3. v. 13. ubi ex addito verbo παρῆν genuina significatio intelligitur. Item pro ληνόν torculari, in quo uvæ calcando conteruntur à rad. פור contrivit, comminuit Esa. 63. v. 3. Syrus habet nomen מַעְצָר à rad. עצר expressit vinum ex uvis, ut sic nullum superesse possit dubium per ληνόν hoc loco intelligi lacum torculari subjectum & recentis vini excipiendi causa effossium. Duæ enim sunt torcularis partes: una est prelum à premento sic dictum, quo vinum ex uvis exprimitur, altera est lacus concavus seu vas prelo substratum, quo expressum ex uvis mustum excipitur. Quare cum olim lacunis sive lacubus effossis recens mustum excipi fuerit solitum, ideò hic dicitur ληνόν fuisse effossium, apud Esaiam dicitur excisum, & ut appareat per ληνόν apud Matthæum συνευδοχικῶς utramque torcularis partem intelligi, ideò apud Marcum magis proprie & perspicue dicitur ὑπόληνον, hoc est, subtorcular, in quod mustum prelo expressum deflueret, effossium fuisse, sicut etiam LXX. nomen ληνόν Esaias in hujus parabole descriptione utitur, per ὑπόληνον exprimitur Esa. 16. v. 10. Joel. 3. v. 13. Hagg. 2. v. 17. Zachar. 14. v. 10. quos Marcus hæc in parte fuit secutus. Cæterum per hanc torcularis fossionem in genere denotatur providentia patrisfamilias, quod non solum rebus ad vindemiam necessariis vineæ suæ prospexerit, sed etiam bonam spem de fructibus vineæ conceperit, cum torculari ad uvarum expressionem judicaverit opus esse. Quid verò in specie per torcular in hac parabola significetur, de eo variant Interpretum sententia. 1. Origenes, Hieronymus, Beda & Theophylactus intelligunt altare, quia ad illud perpetuò afferebantur sacrificia, sicut uvæ ad torcular, & quia sanguis vino rubro similis ad altare fundebatur, quo victimarum sanguine quasi

ne quasi musto altare redundabat. Quidam huc referunt vaticinium Jacobi Patriarchæ Genes. 49. vers. 27. *Benjamin lupus rapax, mane comedens & ad vesperam dabit escam*, quia in tribu Benjamin fuit altare, quod omnis populi fructus suscepit, & immolatas hostias quasi devoravit. Sed ex scopo parabolæ intelligitur, per torcular tale quid significari, quod ad vineæ fructificationem promovendam fuerit comparatum, ac vaticinium illud Patriarchale de Paulo ex tribu Benjamin oriundo prius persecutore, postea Apostolo, plerique accipiunt. 2. Irenæus, Hilarius, Ambrosius intelligunt *Prophetarum Spiritum*, quo impulsus passionis Dominicæ & aliis mysteriis fuere vaticinati. Quemadmodum enim in torculari vinum fluit: sic in Prophetas multi modo quædam ubertas Spiritus sancti influxit, quo veluti musto quodam fervebant, Job. 32. vers. 19. ut de passionis Dominicæ mysteriis, in qua torcular CHRISTUS calcavit Esa. 63. vers. 3. vaticinarentur, unde quidam Psalmi, in quibus de passione CHRISTI Spiritu Prophetico prædicatur, inscribuntur de torcularibus Psalm. 8. vers. 1. Psalm. 81. vers. 1. Psalm. 84. vers. 1. Ambrosius lib. 9. in Luc. pag. 144. *Quomodo intelligimus, quid sit torcular, nisi forte, quia Psalmi de torcularibus inscribuntur, eò quod in his mysteria passionis Dominicæ modo multi sancto fervente Spiritu Prophetarum redundantiùs astuaverint? denique ebrii putabantur, quibus SPIRITUS SANCTUS inundabat.* Ergo & hic fodit torcular, in quod uva rationabilis fructus interior spiritali infusione desueret. Hanc interpretationem probat etiam Hieronymus in capite 21. Matth. *Per torcular, inquit, intelligitur aut altare, aut illa torcularia, quorum & tres Psalmi titulo prænotantur, octavus & octogesimus & octogesimus tertius.* Sed & hoc videtur nimis è longinquo petitum. 3. Athanasius quæst. 13. per torcular intelligit *Baptismum*. Forte quia Baptismus est *lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti*, qui ad producidos bonorum operum fructus nos fertiles reddit Tit. 3. vers. 5. vel quia *bibere calicem & baptizari baptismo crucis* conjunguntur Luc. 12. vers. 50. sed ostendimus superius principaliter enumerari beneficia Israëlita Ecclesiæ præstita. 4. Autor imperfecti operis per torcular intelligit Ecclesiam. *Quid est, inquit, torcular, nisi Ecclesia? Sicut enim area Ecclesia intelligitur, quia in ea per multam triturationem & ventilationem triticum separatur à palis: sic rationabiliter Ecclesia torcular est intelligenda, in qua omnes fructus vineæ, hoc est, opera servorum Dei & fides roborata ad Dei gloriam transmittuntur.* Sed quia per vineam intelligitur Ecclesia, ideò per torcular in vinea non potest Ecclesia intelligi, unde idem autor statim addit per torcular potius *verbum Dei vel Prophetas*, ex quibus quasi ex torcularibus gratia Spiritus sancti decurrebat ut mustum, accipiendum esse. 5. Ferus intelligit *templum*, in quo cœlestis paterfamilias vineæ suæ fructum, videlicet orationes, laudes, sacrificia &c. excipere gestiebat. 6. Quidam in genere *ministerium verbi & Sacramentorum*, quod instituit Deus in Ecclesia Israëlita ad elicendum suavem fructum, quo delectari possent. 7. Lyranus in specie accepit *de doctrina*

Prophetarum, per quam exprimitur & declaratur magis virtus legis. 8. Quidam accommodant ad *promissiones de venturo Messia & Evangelicam consolationem*, per quam datus fuit creditibus in Vet. Testamento Spiritus sanctus. 9. Sed ex fine & usu torcularis colligitur, commodissimè per illud intelligi tum *doctrinam legis*, tum *crucem & calamitates*, reales illas legis conciones, promoventes mortificationem carnis, omnibus verè piis ad ferendos bonorum operum fructus necessariam. Lex enim bonum à malo, purum ab impuro discernit, & unumquemque premit atque urget, ut fructum pietatis ferat, adeoque est torcular exprimens dulcissimum bonorum operum vinum, quo & Dominus vineæ & coloni suaviter reficiuntur, qua de re Autor imperfecti operis sic disserit: *Ecclesia torcular est, habens in se verbum Dei, quo non delectatur Natura carnalis, acquiescit autem ei contorta propter timorem iudicii vel amorem præmii, ut non tam ipsa Ecclesia torcular videatur, quam ipsum verbum Dei, quod traditum est in ea fossium.* Si enim verbum Nov. Testamenti, quod leve est, cruciat hominem, contradicente carnis Naturâ, quanto magis verbum Veteris Testamenti quod importabile erat? Ubi ergo verbum Dei positum erat in lege, modum vivendi constituens, torcular erat fossium &c. Per tribulationem itidem urgemur ad pietatis & obœdientiæ fructum; per eandem etiam boni à malis, sicut vinum ab acinis & oleum ab amurca secernuntur. Ac quemadmodum de Christo dicitur Esa. 63. v. 3. quod *torcular calcaverit* in sua passione: ita quoque vera Christi & Ecclesiæ membra torculari crucis in hac vita subijciuntur. Admonet igitur nos hæc torcularis in vinea Dominica extructio de extrema Naturæ corruptione, quod in hac vita propter reliquias carnis disciplina legis & jugum crucis ad ferendos bonorum operum fructus nobis perpetuò sint necessaria; quodque Deus non solum beneficio, sed etiam flagello nobis consulat. Ut enim uva priusquam ad usus hominum proficit, exprimitur in torculari: sic debet homo tribulationem pati, priusquam idoneus fiat ad regnum Dei. Qui verò ex impatientia recusat in hac vita torcularis crucis sustinere, is abjicietur *in torculari vae divine* Apoc. 19. v. 14.

Quartum beneficium vineæ præstitum est *turris adificatio*. Schindlerus in rad. תורר per turrim apud Esaiam intelligit *torcular*, sed quia & turris & torcularis distincta fit mentio, ideò adificatio turris à fossione torcularis rectius distinguitur. תורר turris à magnitudine sic dicta ad urbis munitionem & custodiam extruitur 2. Paral. 14. versic. septim. *Vallemus civitates muro & turribus.* 1. Maccab. 1. vers. 35. cap. 13. vers. 33. &c. inde Esa. 29. v. 3. ponitur pro muro sive munitione, ubi in Hebr. est מצורה, hoc ipsum quosdam permovet, ut per turrim h. l. συναγωγῆς intelligerent murum seu munitionem, cum turris sit fortissima pars mœnium, sicut etiam πύργους ab Homero *od. λ.* usurpatur pro ἰχθυῶν muro circumdare. Sed quia jam antè in secundo membro sepimenti ac muri vineæ circumducti facta est mentio, ideò rectius nomen turris in propria significatione accipitur, quod in media

vineæ, ut *Esaïas* loquitur, turris fuerit extracta, tum propter speculam, ut speculator in ea positus ex omnibus partibus vineæ prospicere posset, qui finis extractæ in vinea turris est præcipuus, tum ad asservandos in ea fructus & ad vineæ ornamentum, qui est finis secundarius. Quidam addunt quartum finem, videlicet *præsidium*, sed hic potius ad turres mœnium, quam vinearum congruit. Per hanc turrim 1. *Irenæus* intelligit ipsam urbem *Hierosolymam*, cujus interpretationis hæc posset dari ratio, quod *Hierosolyma* tanquam metropolis præ cæteris urbibus eminent fuerit, velut caput in corpore, ut loquitur *Josephus* libr. 3. de bello Judaic. cap. 2. ac idem fuerit terræ *Israëliticæ*, quod turris vineæ: Item quod editiore loco unâ præsertim ex parte in montibus sita procul undique videbatur, unde etiam voce composita ex *Salem* antiquo urbis nomine *Genes.* 14. v. 18. & verbo תורן vidit, denominatur. Denique quod ex ea prospici procul & propulsari adventantes potuerint hostes. 2. *Origenes*, *Hieronimus*, *Beda* & *Theophylactus* intelligunt de templo *Hierosolymitano*, quod in monte *Moriah* fuit extructum, qui à visione denominationem habuit, ex quo etiam prævideri potuerunt mala imminuentia illis, qui Domino fructificare nollent. *Hieronimus* huc accommodat locum *Mich.* 4. vers. 8. *Et tu turris nebulosa*. *Carthusiensis* dicit, templum vocari turrim propter altitudinem ædificii, propter securitatem refugii, & propter dignitatem privilegii, respectu aliarum nationum. Quemadmodum turris præcipuè hoc sine extruitur, ut speculatores in illa ex alto prospectent, ne quid detrimenti vineæ à furibus & feris inferatur: sic templum ad religionis & cultus custodiam erat extructum, in eo enim versabantur maximè illi, qui speculatores domus *Israël* divinitus erant constituti, quique officii sui ratione providere debebant, ne quid detrimenti caperet *Ecclesiastica* *Israëlis* politia. 3. *Hilarius* per turrim intelligit legis eminentiam, quæ in cælum ex solo egressa proverberet, & ex qua speculari *Christi* possent adventum. Eodem sensu *Ambrosius* d. l. exponit: *Ædificavit turrim, verticem scilicet legis atollens*. Cum quæ expositione ferè congruit, quod quidam per turrim intelligunt verbum *Dei* & *Scripturam sacram*, ex qua omnes *Dæmonis* insidias deprehendere possumus, & ex qua mille clypei dependent *Cant.* 4. vers. 4. hoc est, ex ea contra omnes adversarios nos munire possumus. 4. *Athanasius* & *Autor* imperf. operis per turrim accipiunt fidem in *Christum*, *Propheticis* vaticiniis prædictam. Ubi verbum *Dei* positum erat in lege, inquit autor imperfecti oper. modum vivendi constituens, torcular erat fossurum, ubi autem de fide *Dei* prophetabatur, turris ædificata erat. Nam sicut in turri consistentes duo bona consequuntur, & hostium irruptionem ipsi facile non patiuntur, & hostes de turri facile conterunt: sic & qui in fide *Christi* consistent, vel in lege *Dei*, & *Dæmones* super se irruere non sinunt, & spiritualibus bonorum operum sagittis eos facile vulnerant, & *Dæmones* super illos irruere nequeunt, & à spiritualibus malorum operum sagittis non facile vulnerantur. Idem tamen postea per turrim accipiendam esse dicit legis fiduciam & altitudinem, ex qua *Sacerdotes* velut speculatores *Christum* specularentur venturum. 5. Qui-

dam per turrim intelligunt *Prophetas*, qui spiritaliter populum dirigebant, & ab hoste protegabant. Sed *Prophetæ* per servos ad colonos à patrefamilias ablegatos postea describuntur. 6. Quia præcipuus turris in vinea extractæ finis est vigilans custodia, ideo per eam commodissimè intelligitur auctoritas *Sacerdotalis* & officium *Leviticum*, ex quo velut specula quadam hæc vinea erat custodienda, ne quid detrimenti acciperet. In hac collocati erant coloni vigiles super populum *Israëliticum* constituti *Esa.* 52. vers. 8. cap. 56. vers. 10. *Jerem.* 6. vers. 17. *Ezech.* 3. vers. 17. cap. 33. vers. 2. Hæc ergo turris *Pastores Ecclesiarum* sui admonet officii, quod instar speculatores diligenter providere debeant, ne vel vulpecula, hoc est, hæretici, vel apri, hoc est, Tyranni in vineam irruant, eamque depopulentur & devastent. *Act.* 20. vers. 28. & 29. *Episcopus* ex ipsa nomine perfectum habeat, quod speculari eum oporteat, atque omni ex parte oculum esse omnia prospicientem, neque quidquam negligentem, ait *Isidorus Pelusiora* lib. 1. *Epist.* 149. pag. 39.

Quintum beneficium est vineæ elocatio. Reliquis in vineam collatis beneficiis haud immerito etiam hoc annumeratur, quod patrefamilias vineam à se plantatam, munitam, exornatam & omnibus ad fructificationem necessariis instructam non reliquerit sine cultura, sed elocaverit eam agricolis, qui se colendæ vineæ peritos profitebantur, seq; in ea colenda summam diligentiam adhibuituros pollicebantur. Verbum *ενοικω* in ea significatione, videlicet pro elocatione alicujus fundi alibi non occurrit in *Scripturis* sacris. Congruit autem cum hac significatione, quod *Xenophon* in libro, cui titulum fecit *οικω*, dixit *εξακόσια ἀνδοράματα ἐκδεδομένα*, sexcenta mancipia elocata, quodque *Aristot.* 2. *œcon.* dixit *ἐκδεδοται νομισμων*, quod *Budæus* vertit per locationem, sicut etiam vulgata & *Erasmus* *εξιδωτα* hoc loco reddiderunt locavit. *Cicero* orat. 5. in *Verrem* elocatum fundum dixit. *Syrus* vertit *מרתר* quod respondet *Hebræo* *מרתר* possedit, unde est *מרתר* possidendum tradit, *Syris* enim usitatum est in *7* mutare. Intelliguntur autem per agricolas primariò ac principaliter *Sacerdotes* & *Ecclesiastici* proceres in populo *Israëlitico*, secundariò ac minus principaliter primates in statu politico, quia *Christus* non solum cum *Sacerdotibus*, *Scribis* & *Pharisæis*, sed etiam cum *Senioribus* populi hic loquitur, & quia utrisque officii ratione incumbet vineam *Dominicam* colere, hoc est, populum fidei suæ commissum docere, regere, monere, castigare, coercere, exemplo eidem præluere, & nihil quicquam prætermittere, quod ad promovendam vineæ fructificationem requiritur. Quidam colligunt ex v. 43. ubi regnum *Dei* dicitur *Judeis* auferendum, & genti facienti fructus ejus dandum, per colonos non intelligi solos *Sacerdotes*, *judices* & *primates* populi, sed totam *Judæorum* gentem, cui opponantur gentiles, cui interpretationi favet *Ambrosius*, ideo hæc parabola principaliter contra *Sacerdotes*, *Scribas* & *Seniores* directæ est, & quia reliquis *Judæorum* populus vineæ potius quam colonorum appellatione venit intelligendus, ideo *Origenes*, *Hilarius*, & *Theophylactus* rectius statuunt, per colo-

colonos, quibus vinea elocata est, intelligi *Sacerdotes*, quibus munus docendi populum erat commissum. Inde etiam est, quod in parabola Christus hanc particulam de elocatione agricolis facta addidit, quæ non habetur apud Esaiam. Scopus enim Esaiæ fuit, ipsius vineæ, hoc est, populi Israelitici vitia taxare, quod non responderit culturæ sibi impensæ, sed pro uvis virtutum tulerit labruscas vitiorum. Christi verò scopus in hac parabola fuit Sacerdotum & Seniorum impietatem in lucem producere, & ipsisque ingratitude eorum perfidia ac sceleris plenam exprobrare, eademque opera occurrere scandalo, quod ab hac primatum impietate oriebatur. Magno enim cum scandalo conjunctum fuit, & multos à fide in Christum deterruit, quod videbant Christum rejci ab illis, qui erant ordinarii doctores populi divinitus constituti, qui summum Ecclesiasticæ autoritatis & politicæ potestatis gradum obtinebant; quin & paulò post per mortem Christi Sacerdotum impulsu ei irrogatam, scandalum istud majores vires erat accepturum: Christus igitur non solum in hac parabola demonstrare voluit, non esse novum ac insolitum, quod legati Dei ab ordinariis doctoribus pessimè accipiantur, cum majores ipsorum eodem modo egerint cum Prophetis, sed etiam ex oraculo Davidico ostendit, disertis verbis prædictum esse, quod idem à vinea Dominicæ colonis & spiritualis ædificii architectis promisso Messiæ sit obventurum. Quare autem Christus in applicatione parabolæ ad universum populum securæ pœnæ prædicationem extendat, ejus rei causam inferius proferemus. Hoc loco notandum, quod & agriculturalium & elocationis nomen de multis utiliter nos monere possit. Ministri Ecclesiæ sunt *γεωργοί*: ergo agnoscant se in spirituali agricultura esse & *δεσποτῆς* ut vocantur 1. Cor. 3. v. 9. Collectio Ecclesiæ est *γεωργία* agriculturalium, ut Apostolus ibidem loquitur, supremus *γεωργός* est Pater cœlestis Joh. 1. v. 1. absq; illius adjutorio vanus & frustraneus est inferiorum agriculturalium labor. Ipsi quidem plantant & rigant, sed solus Deus potest dare ac *δαε* etiam incrementum 1. Cor. 3. v. 6. 2. Se non ad otium, sed ad laborem vocatos esse. Agricultura enim laboris & sudoris nomen est Genes. 3. vers. 19. inde etiam Ecclesiæ ministri vocantur, *εργαταί* operarii Matth. 9. v. 37. cap. 10. vers. 10. Luc. 10. v. 2. quia scilicet in vinea Domini strenuè laborare debent. Ipsorum est plantare, rigare, vitia tanquam spinas extirpare, & virtutes tanquam bona semina animis hominum inserere. Sicut rastro ferreo herbæ radicitus evelluntur à vinea: sic etiam acri sermone vitia de populo refecantur. Sicut colonus, quamvis de suo munere obrulerit domino, non sic eum placat, quomodo si de vinea ejus reditus ei obtulerit: sic & Sacerdos non tantum propter suam justitiam placet Domino, quomodo si populum DEI in sanctitate docuerit, quoniam ipsius justitia una est, populi autem multiplex, ait Autor imperf. oper. homil. 40. 3. Rationem olim sibi reddendam de cultura & fructibus vineæ, id enim à colonis requiri res ipsa testatur: Si ille pro negligentia debet timere periculum, qui procuratorem suscepit rerum terrenarum de manu alicujus hominis potentis,

quanto magis Sacerdotes, qui de manu Dei susceperunt procuratorem sanctarum animarum, ait idem d. l. 4. Licitum ipsis esse vivere de fructibus vineæ, hoc est, sustentationem & subsidia vitæ ab auditoribus accipere: *Quis enim plantat vineam & de fructu ejus non edit?* inquit Apostolus 1. Cor. 9. vers. 7. ita & Dominus ordinavit, ut qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivant. vers. 14. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.* 2. Tim. 2. vers. 6. 5. Se non esse dominos vineæ, sed colonos & Dei servos. Locavit ipsis Deus vineam, non dono dedit, nec vendidit, nec dominium directum & absolutum ipsis dedit. Neque enim Deus vineæ dominio sese abdicavit, vel in colonos illud transtulit, sed ipse manet vineæ dominus, etiam post factam elocationem. Quamvis ergo partem aliquam fructuum colonis haud invitus relinquat, interim tamen jus domini, jus rescindendæ elocationis, jus reddendæ rationis, jus exigendorum fructuum sibi reservavit, colonis igitur vel maximè incumbit, id operam dare, ut in reddendis vineæ fructibus fideles inveniantur. Maldonatus ex voce *elocationis* operum merita firmiter probari posse autumat. Sed 1. rependenda est regula Chrysostomi, quod in parabolis non debeant singula membra rigidè urgeri, sed quod principalis scopus in eis unice sit respiciendus. 2. Multo minus ex singulis parabolarum membris apodictica argumenta desumi possunt, nisi ipsa Scriptura applicationem monstret. 3. Autor imperf. operis hanc ipsam Maldonati collectionem refellit hisce verbis: *Quoniam diximus, Sacerdotes populum Dei colere, DEUM autem reddere mercedem vitæ, nemo Sacerdos existimet, quoniam justè pro merito operum suorum accipiet à DEO mercedem & non potius propter gratiam & misericordiam DEI. Non enim Sacerdotes præstant DEO docentes populum ejus, sed DEUS Sacerdotibus committendo eis populum suum in Spiritu. Nos autem doctrine mercedem acquirere non poteramus, nisi nobis procuratio populi commissa fuisset.* 4. Dicitur Deus vineam suam colonis elocasse, tum quia fideliter in ea laborantibus mercedem largissimam promissit Matth. 20. vers. 2. tum quia ex vineæ fructibus sustentationem & vitæ necessaria ipsis permittit, sicut in Veteri Testamento Sacerdotibus Leviticis juxta divinam ordinationem cedebant primitiæ, decimæ & partes aliqua Sacrificiorum, ut vineam Domini haudquam gratis colerent. Sed ex neutro horum probari possunt operum merita. Est enim illa merces ex gratia promissa, non autem secundum debitum justitiæ redditur, ut ex Psal. 127. vers. 4. Matth. 5. vers. 46. cap. 6. vers. 1. Luc. 6. vers. 32. Coloss. 3. vers. 24. & aliis Scripturæ locis evidenter ostendi potest. Ambros. lib. 1. Epist. 1. *Alia est merces liberalitatis & gratiæ, aliud virtutis stipendium, alia laboris remuneratio.* Jam verò merces debiti duntaxat, non autem merces gratiæ meritum propriè sic dictum infert.

Atque hæc de vineæ elocatione, cui in parabola subijcitur, quod paterfamilias post elocationem agricolis factam peregrè abierit, *ἀποδησὶν* significat & peregrè abire & peregrè abesse, posterius enim prioris est consequens Matthæi 25. vers.

verf. 14. & 15. Luc. 15. verf. 13. Propriè sonat, *abesse à populo seu à publico*. Utraque significatio hic conjungenda, quia additur *ἀποδημήσας ἑσθλὸν ἵναρὸν*, peregrè profectus absuit multa tempora seu multum tempus, ut sit elipsis præpositionis *ἀπὸ* vel *ἐκ*. Quidam vertunt, *peregrè absuit annis multis*, quia Græci nomine *ἑσθλὸν* etiam annum indicant. Syrus apud Matthæum & Marcum habet verbum *קור* quod est Syris in hac significatione peculiare, quo nec Hebræi nec Chaldæi utuntur. Significat autè *abiit, peregrinatus est* Act. 24. v. 4. Apud Lucam habet verbum *קור* quod itidem Syris ac Arabibus duntaxat usitatum, significans *recessit, absens fuit*. Quia verò Deus ubique præfens nec ab ullo loco ullo unquam tempore exclusus, ideò variè disputatur, quid per illam peregrinationem & absentiam significetur. 1. Quidam statuunt hoc ad compensationem duntaxat parabola pertinerè, non autem peculiaris alicujus significationis causâ esse additum. Quia enim domini vinearum illas solent aliis elocare vineas, quas ipsimet præfentes colere non possunt, & quia coloni absentia domini ad suam negligentiam solent abuti, ideò ad explendam & ornandam parabolam hoc fuisse à Domino adjectum, non autem habere certam aliquam significationem. 2. Quidam existimant, singularem curam & exquisitum studium patrisfamilias hac ratione in genere significari, quod non antè abierit, quàm vinea omnibus necessariis fuerit instructa & certis hominibus ejus cultura & custodia commissa. Sed non est verisimile, hanc particulam otiosè adjectam vel generaliter duntaxat studium patrisfamilias denotare, illud enim magis exprimeretur, si cultura præfens fuisse diceretur. 3. Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius exponunt de diuturna Dei erga Judæos patientiâ & longanimitate, qua conversionem ipsorum expectavit, neque statim pœnas à delinquentibus exegit, quæ interpretatio probari posset ex Esa. 5. verf. 2. *expectavi, ut faceret vvas*. 4. Huic explanationi affinis est ea, qua per hanc peregrinationem respectus haberi statuitur ad opinionem improborum colonorum, qui sibi persuadent Deum non videre, non curare, quid in vinea fiat Psalm. 10. verf. 5. Ezech. 9. v. 9. Luc. 12. v. 45. Ambros. in cap. 20. Luc. *Qui ubique est, diligentibus se præfentior est, negligentibus abest*. 5. Hieronymus & Beda significari putant *liberum colonis relictum fuisse arbitrium*, sicut servis absente domino aut laborare aut cessare solet esse liberum. Gessit ergo se tanquam absentem, qui nusquam & nunquam abest permissio regimine & cultura vineæ ipsorum arbitrio & fidei. 6. Quidam ad invisibilitatem DEI hoc accommodant. Quamvis enim DEUS non discedat ab Ecclesiâ suâ vinea, sed in medio ejus perpetuò habitet & ambulet Levit. 26. verf. 12. 2. Corinth. 6. verf. 16. tamen quia præfentia illa est invisibilis, ideò similis dicitur peregrè absentis. 7. Glos. ordinar. in cap. 20. Luc. sic accommodat: *Longo tempore absuisse dicitur, ne injusta videretur fructuum exactio, nam quò indulgentior liberalitas, eò inexcusabilior pertinacia*. 8. Origenes & Theophylactus DEUM peregrè quasi profectum dicunt, post-

quam stupendis prodigiis in eductione populi ex Ægypto, in promulgatione legis, in deductione per desertum, introductione in terram Canaan præfentiam suam demonstrasset. Cum enim signa & prodigia illa cessarant, ac minus frequentes essent Dei apparitiones; ibi visus quasi fuit peregrè abiisse, & longo tempore absuisse, quia ab exitu Israëlitarum ex Ægypto & ingressu in terram promissionis usque ad excidium populi per Romanos tempus bene longum interceisit, quæ interpretatio reliquis videtur præferenda, quamvis haud inconcinne etiam quædam ex prioribus ei adjungi possint. Quod verò. 9. Cajetanus profectionem illam *de subtractione gratiæ* exponit, illud non potest habere locum. Quomodo enim vinea fructificare posset subtracta divina gratia? Qui ad Ecclesiâ Novi Testamenti parabolam accommodant per profectionem illam intelligunt ascensionem CHRISTI in cœlos. Quamvis enim per eam CHRISTUS non subtraxerit Ecclesiâ suam secundum humanitatem præfentiam, cum ascensionem proximè infecuta fuerit sessio ad Dei dextram, per quam univèrsale & omnipræfens cœli terræque dominium CHRISTO homini fuit collatum, tamen cum præfentia illa non incurrat in sensus externos, ideò hoc respectu CHRISTUS per ascensionem suam peregrè quasi profectus rectè dici potest Matth. 25. verf. 14. Marc. 13. verf. 34. Luc. 19. verf. 12. Sed quia in hac parabola CHRISTUS introducitur, ut filius patrisfamilias illius, qui peregrè abiit, ideò vocula *ἀποδημήσας* non satis commode ad Christum referri potest. Illud utilius observatur, quod in parabola talentorum ac minarum vox *ἀποδημήσας* usurpetur; quo innuitur, parabolam illam cum hac ipsa conferendam esse, ac moneri ea agricolas, ne donorum suorum talenta in terram defodiant, nec dominum vineæ simpliciter abesse suspicentur, indeque in officio negligentes reddantur, sed ut in vinea Domini fideliter laborent, ac certò statuunt, Dominum vineæ labores ipsorum intueri & rationem ab eis exacturum, quando visibili sui apparitione præfentiam suam contestatam reddet. Cæterum quæ de beneficiis cœlestis patrisfamilias in Ecclesiâ vineam collatis in primo parabola membro à CHRISTO proponuntur, ea non solum *de benignitate Dei* erga genus humanum, cum primis verò Ecclesiâ luculentum ferunt testimonium, sed etiam nos omnes, qui in vineam Domini vocati & collocati sumus, nostri admodum officii: *Vinea Domini sumus*, ait Augustinus in Psalm. 66. *ad fructum nos colit*. Si enim Ecclesia est vinea, utique omnes Ecclesiæ cives sunt palmites Johan. 15. v. 5. simus ergo frugiferi palmites, *plantatio Domini ad glorificationem* Esa. 61. verf. 3. hoc est, proferamus fructus bonorum operum, ut homines eos videntes *glorificent Deum, qui in cœlis est* Matth. 5. verf. 16. Hanc fructificationem exigit *vocationis nostræ dignitas*; in vineam enim nemo vocatur, nisi laboris causâ, in vineam non transferretur palmes nisi fructus causâ; exigit eandem *cœlestis patrisfamilias benignitas*, quam tot beneficiis in Ecclesiâ suâ vineam collatis comprobata dedit; exigit eam *seria DEI voluntas*, expe-

expectat enim, ut proferamus uvas, Es. 5. vers. 2. mittit servos suos, qui colligunt fructus; exigit eam *pene*, quæ in frugiferos palmites manet, *graviditas*, aufert enim illis gratiæ suæ pluviam, unde exarescunt, & in ignem projiciuntur, Esa. 5. v. 6. Joh. 15. v. 6. exigit eam *Dei beneplacitum*, quo frugiferos palmites complectitur. Non delectatur tantopere ullus vinitor, videns palmites uvisturgentes, quàm lætatur Deus, cum videt pios bonis operibus fecundos. Quamvis verò non omnes simus in Ecclesiastico Ministerio constituti, quos peculiariter in hac parabola per *colonos vineæ* denotari diximus; tamen cuilibet nostrum curam & culturam certæ alicujus vineæ, hoc est, animæ, Deus commisit. Quod enim Ecclesiæ in genere, Deus impendit, idem etiam cuilibet fidei animæ in specie confert. *Plantat* Deus hanc vineam, quando per regenerationem & renovationem, novos motus in cordibus nostris accendit, nosque veræ viti CHRISTO per fidem inserit. *Sepem circumducit*, quando paternè nos tuetur, ne Saranas fructum hujus vineæ diripiat. *Torcular* in ea extruit, quando crucem & tentationes immittit, quibus suavissimum sacrum orationis, patientiæ & bonorum operum exprimit. *Turrimus* in ea ædificat, quando vigilantibus oculis providentiæ suæ eam quotidie lustrat. Hanc vineam unicuique nostrum DEUS elocavit, *quilibet enim nostrum Doctor* (& Vinitor est) *si non alterius, tamen sui ipsius*, inquit Chrysostomus homil. 5. in 2. Thess. Hujus vineæ culturam summopere intentos nos esse convenit. Abscindamus luxuriantes pampinos per carnis mortificationem, alligemus nos vera fide palo verbi, quicquid nobis appositum fuerit, in nostram convertamus utilitatem, custodiamus vineam nostram à beluinis affectibus, evellamus spinas vitiosarum cupiditatum, conficiamus vinum pietatis Deum & Angelos exhilarans &c.

In secundo membro describitur *extrema colonorum perversitas ac crudelitas*, quod non solum debitos fructus patrifamilias denegarint, sed etiam servos ejus fructuum exigendorum causâ ablegatos iniquissimè tractarint, quinimò ipsum filium patrifamilias nefariè occiderint. Primò autem proponitur hujus crudelitatis *ocasio*, quæ fuit fructuum per servos exactio. *Cum autem appropinquasset tempus fructuum, misit tempore oportuno ad agricolas servum, ut à colonis acciperet, & darent ipsi de fructu vineæ.* *καρπός* hic propriè ponitur pro temporis oportunitate, in qua significatione à *χρῶμα*, quod simpliciter tempus significat, distinguitur: unde Erasmus *ἐν τῷ καρπῷ*, rectè reddidit, *cum esset oportunitate tempus, ὅτε ἦν ἔνκαρπον*. Quidam reddiderunt suo tempore, hoc est, tempore illo, quo fructus colligi solent, quo modo exponitur apud Matthæum, qui vocat *καρπὸν τῶν καρπῶν tempus fructuum*, quo vinitores fructus Dominis suis promissos mittere consueverunt, videlicet vasa quædam musto repleta. Syrus habet nomen *כרם* formatum ex Hebræo *כרם*, quod significat certum & presinitum tempus, Eccl. 3. v. 1. Quod Matthæus dicit, *servum esse missum, cum appropinquasset tempus fructuum*, non significat missionem, factam ante tempus fructuum, sed in ipso tempore, cum jam advenisset fructuum recipiend-

Harm. II. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

rum tempus, quo sensu verbum *ἐγγίζε* usurpatur Matth. cap. 3. vers. 2. cap. 4. vers. 17. capite. 10. vers. 7. Luc. cap. 10. vers. 9. Rom. 13. v. 12. Verbum *ἀποστείλα* respectum habet ad *ἀποδημίας* patrifamilias, loquitur enim CHRISTUS de patrefamilias peregre absente, qui non per se ipsum, sed per servos hoc nomine missos ab agricolis fructus exegerit. *ἀπέστειλε λαβῆν* subintellige *ὡς* vel *ἐνεκα τῆς λαβῆς*. quidam referunt ad servos, quod illi debuerint accipere fructus, sed ex Matth. 21. v. 41. apparet, rectius referri ad patremfamilias, ut ipse acciperet fructus, nimirum per servos ea de causâ ad agricolas ablegatos. Syrus reddidit, *ut mitterent ad se fructus*, unde additur *καὶ δῶσι αὐτῷ* pro *αὐτῷ* vel *ἐαυτῷ*, nempe Domino vineæ. Vulgata reddidit *illi*, quod ambiguum est. Res ipsa eodem redit, sive dicatur servos esse missos, ut nomine patrifamilias, à quo ablegati erant, fructus acciperent, vel ut paterfamilias per servos hoc sine ablegatos eos acciperet. Voluit autem patrifamilias sibi reddi *ἀπὸ τῶν καρπῶν, de fructu vineæ*. Non exigit omnes fructus, *quis enim colit vineam, & de fructu ejus non edit?* 1. Cor. 9. v. 7. sed duntaxat pactos & promissos fructus, partem fructuum, lege locationis sibi debitam. Emphaticum etiam est pronomen *αὐτῷ* scil. *ἐαυτῷ*, illius vineæ, quam paterfamilias tanto studio plantaverat, muniverat, exornaverat, & omnibus ad fructificationem necessariis instruxerat, ex qua fructus sperari & reddi erat æquissimum. Per *servos* ad agricolas missos omnium consensu intelliguntur Prophetæ veteris Testamenti, per quos Ecclesiastici & politici proceres officii sui fuerunt admoniti, familiare enim Scripturis est, Prophetas vocare *Dei servos*, Exod. 14. 31. Jos. 1. 1. 2. Reg. 9. 7. c. 17. 13. c. 24. 2. &c. Quamvis verò etiam Prophetæ certo respectu fuerint coloni in vinea Domini, ac Sacerdotes & Reges fuerint Dei servi, tamen in hac parabola Prophetæ comparantur servis ad colonos missis, ut fructum exigent. Sacerdotibus enim ordinariè commissum fuit munus docendi, sive vineam Dominicam colendi, Regibus & Judicibus commissum fuit munus erigendi populum, quando verò utrique in officio suo fuere remissi ac desides, vel idololatriam & falsos cultus introduxerunt, missi sunt extraordinariè Prophetæ, qui præsides populi in viam revocarent, noxias herbas idololatriæ, & falsorum cultuum ex vinea extirparent, supervacua sarmenta amputarent, & subsidiariam operam vineæ præstarent: unde dicuntur *missi ad colonos*, quia principaliter ad præpositos populi missi sunt, ut eos officii admonerent, secundariò & consequenter etiam ad populum missi sunt, ut illum etiam arguerent, & fructus DEO debitos ab illis requirerent. Cum enim unicuique in Ecclesiam vocato vineæ, hoc est, animæ suæ cultura divinitus sit commissa, ideò quando hoc loco servi dicuntur missi ad colonos, potest illud ad singulos Ecclesiæ cives accommodari, quia DEUS non solum à Præsidibus & Doctoribus, sed etiam à singulis Ecclesiæ civibus fructus postulat. Atque hæc in applicatione parabolæ rectè quidem dicuntur, interim in explicatione per *colonos* non nisi Sacerdotes & Seniores populi

F f

puli

puli intelliguntur. Contra illos enim hæc parabola est directæ, & de illis Christus conqueritur, quod non solum debitos fructus patrifamilias denegarint, sed etiam servos ejus, hoc est, sanctos Prophetas, qui Dei nomine ad ipsos missi erant, crudeliter tractaverint. Ut enim Esaias parabolam suam dirigit contra ipsam vineam, hoc est, adversus populum Israëliticum, pro uvis virtutum proferentem labruscas vitiorum: sic Christus hanc parabolam præcipue direxit contra Præsides populi, accusans eos, quod fructus Domino bonâ fide non obtulerint. Non quidem poterant illi fructus Domino offerre, si vinea eos non ferret, interim, quia ipsorum culpâ & negligentia factum, ut vinea non proferret fructus, siquidem in cultura vineæ non adhibebant debitam industriam, ideo jure ac merito in hac parabola ipsorum negligentia cum perversitate & crudelitate conjuncta graviter à Christo perstringitur. *Fructuum* nomine, quos servi exigere debebant, intelligitur tributum spirituale DEO debitum, videlicet vera Dei agnitio, sincerus cultus, fiducia, timor, dilectio, obœdientia &c. ac loquitur Christus in plurali, quia Deus non unum duntaxat bonum opus à nobis requirit, sed obœdientiam erga omnia Decalogi præcepta. Plantavit in nobis semina multarum virtutum, per verbum & Spiritum sanctum, videlicet fidem, spem, dilectionem, patientiam &c. omnium horum fructum expetit, neque quidquam in nobis otiosum esse permittit. Quid verò per *tempus fructuum* intelligitur? Quidam putant hoc duntaxat ad explendam & ornandam parabolam esse adjectum, quia vinea naturalis non fert fructum omni anni tempore, sed certo & præfinito; spiritualis autem vinea omni tempore debet fructum ferre: proinde non esse cogitandum, quasi non semper fuerit tempus fructuum, aut quasi non semper à populo suo bonorum operum fructus Deus exegerit. Quidam hoc referunt ad *tempus arrosationis*, cum Israëlita sub Regibus ad idola deficerent, & ad insaurationem doctrinæ ac cultus Prophetæ ad eos ablegarentur. Remigius in Matth. simplicissimè exponit tempus fructuum fuisse, quando Israëlita eiectione Cananæis & devictis hostibus suis terram promissionis quietè inhabitare cœperunt. Quamvis enim nunquam non fuerit tempus fructuum Deo reddendorum, postquam populus in peculium DEI receptus & per promulgationem legis ac variâ beneficia ad obœdientiam ipsi obstrictus, peculiariter tamen tunc fuit fructuum tempus, quando sub Judicibus & Regibus, præsertim verò Salomone, terram Canaan pacifice inhabitabat, adeoque ut Spiritus sanctus loquitur, *quilibet sub sicu & vite sua quiete habitabat* 1. Reg. 4. v. 25. pacificus enim Ecclesiæ status aptior est ad parandos fructus, sicut etiam vinea naturalis pacis tempore melius coli potest, ac tunc nihil excusationis obvertere poterant, quò minus agricolæ fructus vineæ Domino offerrent, hoc est, quò minus populus diligenter ab ipsis institutus & informatus in bonis operibus Deo fructificaret. Quando ad Ecclesiam Nov. Test. parabola applicatur, per tempus fructuum intelligi potest tempus illud, quo post gravissimas persecutiones sub

Constantini imperio pax Ecclesiæ fuit restituta: si in specie ad quemvis Christianum applicetur, tempus fructuum est illud momentum, quo DEUS singulis suppeditat idoneas occasiones resipiscendi & fructus bonorum operum promovendi. Paulus Galat. 6. vers. 10. totum hujus vitæ decursum, in quo adhuc tempus bene operandi nobis conceditur, vocat *tempus fructuum*, quod aliquando sequetur *tempus messis* sive retributionis. Videmus igitur patrem familias, nec colonos, nec palmites infrugiferos in vinea sua velle habere, sed fructus ab utrisque requirere, sicut etiam in vinea naturali non datur locus palmitibus infrugiferis ac sterilibus arboribus Luc. 13. vers. 9. Caveamus proinde, ne simus in bonis operibus negligentes ac infrugiferi, ne sit in nobis *radix fructificans venenum & absinthium* Deut. 29. vers. 18. *ne qua radix amara subpullulet* Hebr. 12. vers. 15. bonos fructus cœlestis patrifamilias à nobis exigit, inspiciet aliquando rationes, & quos qualisve fructus obtulerimus, discutiet, quando scilicet Filius Dei in extremo judicio apparebit *in nube candida, habens in capite suo coronam auream & in manu sua falcem acutam, & Angelis præcipiet, ut mittant falcem suam & vindemient botros vineæ terræ: tunc amara uvæ, quæ fel Draconum & venenum aspidum protulerunt* Deut. 32. vers. 33. *subijcientur torculari, ac mittentur in lacum in æ Dei magnam* Apoc. 14. vers. 14. & 19. Hoc maturè expendentes bonos & Deo gratos proferamus fructus, ac seriis gemitibus DEI gratiam & auxilium ad fructificationem summopere necessarium imploremus. Johan. 15. vers. 5. Ut enim Solis calor ad vineæ fructificationem & uvarum maturationem requiritur: ita quoque Christi gratia ad fructus bonorum operum. Confirmatur etiam hoc loco vocatio & officium Prophetarum, quod fuerint fideles DEI servi, extraordinariè à Deo excitati & missi, ut populum Israëliticum, cum primis verò ordinarios populi doctores & præsides sui commonerent officii: quod ipsum etiam fideliter præstiterunt, quam verò gratiam apud ipsos inierint, illud porrò explicat Christus, quando *ὀνειδισθῶν* subijcit nefariæ improbitatis & crudelitatis, quam coloni adversus servos patrifamilias nomine fructum exigentes exercuerunt. Describitur autem duplex missio Prophetarum. Prior continetur his verbis: *Misit tempore fructuum ad colonos servum, coloni autem arripit illum verberarunt ac remiserunt vacuum. Et rursus misit ad illos alterum servum. Illi verò huic quoque caso coniecit in eum lapidibus vulnerarunt caput, & contumelias affectum remiserunt vacuum. Et rursus misit alium, videlicet tertium: At illi hunc quoque vulneribus inflatis ejecerunt & occiderunt.* Sic ergo, quando misit patrifamilias servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ipsius, agricolæ apprehensis servis ejus alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidaverunt. In hac priore servorum missione singuli seorsim, & quidem tres sucesivè mittuntur, quorum posterior semper pejus dicitur tractatus, quam prior, ut sic cum benignitate patrifamilias agricolarum improbitas & crudelitas quasi certasse videatur. De primo servo dicit

cit Marcus & Lucas, quod coloni ipsam verberarunt, & inanem remisissent. In omnibus ferè exemplaribus legitur *ἐδρασαν*, Matth. 2. v. 35, Marc. 12. v. 3, Luc. 20. v. 10. Quia verò *δρασα*, ex quo formatur *ἐδρασαν*, significat *excorsio*, *pellem detraho*, ut patet ex loco Homeri Iliad. α. εσφαζαν η̄ δειρασαν, & ex nomine *δρασα*, sive *δραμα*, quod *pellem* significat, quæ significatione huic loco minime congruit, cum hic servus ad patremfamilias dicitur *remissus*, inde quidam suspicantur, locum hunc, esse corruptum, ac pro *ἐδρασαν* legendum esse *ἐδρασαν*, idque probant 1. ex uno atque altero vetusto Codicè, in quo legitur *ἐδρασαν*. 2. Ex paraphrasi Syriaca, quæ reddidit per *ܩܕܘܩܩܐܘܬܐ* *caecidit, percussit*, Dan. 2. v. 34. capite 4. v. 32. &c. 3. Ex vulgata versione, quæ reddidit, *caeciderunt*. Facile concedimus, *ἐδρασαν* hoc loco percutiendi ac cædendi significationem habere, negamus verò propterea, textus corruptionem statuendam esse. Ponitur enim *δρασα* pro *δρασαν*, quod in hac significatione usitatus est. Quod si enim hic corruptio textus esset statuenda, tum in aliis locis compluribus, in quibus *δρασαν* ponitur in significatione cædendi, similiter foret corruptio, utpote Luc. 22. v. 63. Johan. 18. v. 23. Act. 5. v. 40. cap. 16. v. 37. cap. 22. v. 19. 1. Cor. 9. v. 26. 2. Cor. 11. v. 20. LXX. verbo composito *ἐδρασαν*, utuntur pro *δρασαν*, quod non solum significat *excorsio*, sed etiam *spoliare*, Mich. 2. v. 8. Aristophanes in fabula, cui nomen *Σφήκες*, verbo *δρασα* usus est metaphorice in significatione *lacerandi*, & de convitiatorum verberatione *ἡ δειρασαν* μοι *δρασαν* καὶ δειρασαν δὲ ἡμέρας, utique ergo cædendi significatione non est ab hoc verbo profusus aliena. Sic igitur primus servus loco fructuum à colonis verbera retulit, & ad patremfamilias rediit fructibus vacuus, sed plagis onustus. Neque verò protinus à remissione servorum paterfamilias cessavit, sed *περιεβητο* *περιβηται*, *addidit mittere*, *perrexit mittere*, qualis Hebraismus occurrit etiam Luc. 19. v. 11. *adjiciens dixit parabolam*. Act. 12. v. 3. *adjecit apprehendere Petrum*. Subintelligendum autem *επιεβητο*, & *misit*, sicut apud Marcum dicitur, *Et iterum misit alium*, videlicet alterum servum, *καὶ κενον λιθοβολησάμενος ἐκεφαλαιώσασα*. Quidam movent particulam *καὶ*, hoc loco poni non copulativè vel comparativè, sed adversativè, ac reddi debere, *at illum*, non autem *illum quos*, cum non præcesserit mentio lapidationis, sed duntaxat verberationis. Verum ex Luca manifestè colligitur, particulam *καὶ* hoc loco retinere suam nativam & vulgarem significationem, ibi enim disertè additur adversativa: *οὐ γὰρ κενόνον δειρασαν* &c. instituitur autem comparatio inter hunc secundum & primum servum, non ratione speciei, sed ratione generis, videlicet, quia agricolæ utrumque verberarunt, ac utrumque vacuum ad patremfamilias remisissent. *λιθοβολᾶν* enim, quo Marcus hic utitur, significat *lapides in aliquem conicere*, *lapidibus aliquem petere*, ut ostendit vocis compositio, (formatur namque à *λίθος* & *βλάττειν*) & evidens locus apud Quintilianum lib. 8. Institut. cap. 2. sive ex istis illis mors consequatur, ut in Stephano Act. 7. v. 59. (confer Matth. 23. v. 37. Luc. 13. v. 34. Johan. 8. v. 5. Hebr. 12. v. 20.) sive minus, ut in Paulo, Actor. 14. v. 19. Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

2. Corinth. 11. v. 25. (ubi tamen habetur verbum *λιθοβολῆσαι*, & Luc. 20. v. 26. *καταλιθοβολῆσαι*.) In posteriore significatione hoc loco accipi, apparet tum ex generali descriptione apud Lucam, *καὶ κενον δειρασαν*, tum ex eo, quod apud utrumque Evangelistam additur, hunc servum ignominia affectum ad patremfamilias itidem fuisse remissum inanem & vacuum. Syrus habet verbum *ܩܕܘܩܩܐܘܬܐ*, quod significat, *lapidibus obruit*, *multitudine lapidum obruit*, quod usurpatur de Paulo, 1. Cor. 11. v. 25: qui ex lapidatione illa non interit, ex quo patet generalis hujus verbi significatione, quam Targum, Levit. 20. v. 27. sic expressit, *lapides in eos jacent*. LXX. etiam verbo *λιθοβολῶ* utuntur pro *ῥησθαι*, *liberavi*, scilicet lapides, quemadmodum facere solent, qui lapidem in aliquem projiciunt, Exod. 8. vers. 26. capite 19. v. 13. &c. Marcus addit, quod hunc servum non solum lapidibus petierint, sed etiam *ἐκεφαλαιώσασα*. Variis modis hoc verbum redditur: Quidam existimant, usitatum hujus verbi significationem (videlicet *in capita sive summam redigere*, *summam aliquam conficere* &c. Sirac. 32. v. 9.) etiam hic habere locum, inde Theophylactus sic: *ὁ δειρασαν τὸν ἄνθρωπον καὶ ἐκεφαλαιώσασα τὸν ἄνθρωπον, omni contumelia genere, quasi in summam quandam redactio, eum affecerunt, omnemque injuriam in eo velut consumpserunt*. Camerarius statuit indicari *caput & faciem deformatam, vel tonsura vel alteratione*, cum mox perhibeatur cum ignominia ac dedecore dimissus. Sed rectius dicitur verbum *κεφαλαιώσασα*, novè usurpari, pro eo, quod est *caput cedere*, vel *vulnerare*, *caput comminuire*, ut Erasmus reddidit. Patet hoc primo ex *ἀναλογία*: Utenim *καταλιθοβολῆσαι* est *καταλιθοβολῆσαι*, ita quoque *κεφαλαιώσασα* est *κεφαλῶ τὸν ἄνθρωπον*. Deinde ex Syriaca versione, quæ habet verbum *ܩܕܘܩܩܐܘܬܐ*, quod generaliter significat *ictibus insistentibus contundere*, ut in lapidatione, vel pulsatione fieri consuevit, cujusmodi vulnus Græcis propriè dicitur *καταλιθοβολῆσαι*, ideo autem Marcus mentionem facit vulnerum capitis, quia illa sunt maximè ignominiosa & periculosa, Marc. 5. v. 5. usurpatur pro *καταλιθοβολῆσαι*, quæ significatione est hujus loci propria. Denique ex collatione Lucæ, qui utrumque videlicet & *λιθοβολῶν* & *κεφαλαιώσασα* reddidit per verbum *δρασαν*, *percutere*. Est autem hoc verbum in ea significatione *ἐκ τῶν ἀσπασίμων*: nam nec in sacris, nec profanis scriptoribus alibi eo sensu usurpatur. *ἀσπασίμων*, quæ agricolæ porro hunc servum affecisse dicuntur, potest intelligi tum de ignominia reali, quod ipsum non solum inanem remisissent, sed etiam lapidibus caput comminuerint, tum de ignominia, quæ verbis vel gestibus fuerit facta, utpote, quod probris eum affecerint, quod ipsum *ἐξέμωσαν*, *naslo suspenderint* & *explorerint*, quale quid Christo factum, Luc. 16. v. 14. cap. 23. v. 35. *quod dimidiam partem barbæ ipsius raserint, & vestes ejus medias præsciderint usque ad nates, sicque eum dimiserint*, sicut olim Rex filiorum Ammon Legatos Davidis tractaverat, 2. Sam. 10. v. 4. verbum enim *ἀσπασίμων*, quo Lucas utitur, & *ἀσπασίμων*, quod Marcus habet, sunt *ισοδυναμῶν*, & variis modis redduntur, *contumelia afficere*, *ignominiosè*

*tractare, contemptui habere, inhonore, quod vel verbis, vel gestibus, vel re ipsa fieri potest, Johan. 8. v. 49. Actor. 5. v. 41. Rom. 1. v. 24. capite 2. v. 23. Jac. 2. v. 6. &c. LXX. utuntur pro כָּבֵד, ex alto despexit, abiecit animo conculcandum, 1. Reg. 10. v. 27. Esth. 1. v. 18. &c. quod alibi reddunt per כְּבוֹדָא, Prov. 11. v. 12. &c. Item pro בְּלִיָּה, ignominia affectu, Proverb. 28. v. 7. quo verbo utitur Spiritus Sanctus de Legatis Davidis, 2. Sam. 10. v. 5. 1. Par. 19. v. 15. &c. Theophylactus pro ἡτιμωμένον legit ἡλιμωμένον, quod Homericum esse Eustathius tradit. Sic ergo agricolæ etiam hunc secundum servum indignis tractarunt modis, & contumeliis ac plagis onustum, fructibus verò vacuum ad patremfamilias remiserunt. Sed nec dum à missione paterfamilias cessavit, addidit enim sive perrexit mittere, & rursus misit ad agricolas alium servum, videlicet tertium, at illi hunc quoque, vulneribus insillitis occiderunt, & ex vinea ejecerunt. Particula κεί, in voce κείνους, vel referenda est ad genus, quod in illum quoque injurii fuerint, & quidem magis, quam in priores, quos nondum occiderant, vel accipienda est adverbative, quæ tamen significatio apud Lucam, qui κεί & κείν conjugit, non videtur locum habere. Tria injuriarum genera commemorantur, quibus agricolæ hunc servum affecerint. Primo vulnerarunt ipsum, κείνους, proprie usurpatur de vulneribus, quæ incisa, vel pertusa cute insilluntur, sicut πληγαί significant vulnera, quæ sunt per contusionem in pulsatione. Syrus retinet verbum πληγ, quo usus fuerat de prioris servi contusione. Deinde occiderunt ipsum, vulnerarunt usque ad necem, nec prius desisterunt à percussione, quam mors consequeretur. Sic ergo crudelitas agricolarum incrementa semper sumit, priores enim domum remiserunt, hunc verò interfecerunt. Denique eundem ejecerunt, vel quod prius è vinea ejecerint, antequam occiderent, vel quod interfecti in vinea cadaver postea ejecerint. Matthæus trium istorum servorum sortem una complectitur sententia: *Agricolæ apprehensis servis ejus alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidarunt*, ubi est quædam ordinis trajectio, ut incoagulatione monuimus superius. Syrus per usitatum Hebraïsmum sic reddidit: *Fuit, quem ceciderunt, & fuit, quem lapidarunt, & fuit, quem occiderunt*, hoc est, aliquem ceciderunt, aliquem lapidarunt &c.*

Atque hæc fuit prior servorum missio, qua singuli seorsim, adeoque tres successivè missi fuerunt, huic successit posterior, qua plures vel simul, vel successivè missi. Eam Matthæus sic describit: *Et iterum misit alios servos plures prioribus, & fecerunt illis similiter.* Marcus illud ἀποσταλάσας, sic explicat: *misit multos alios*, sed illos pari crudelitate exceperunt, hos quidem cadentes, illos verò occidentes. Lucas hanc posteriorem missionem prætermittit, cum sub tribus omnes simul missi intelligi possint. Scopus enim Christi est ostendere, quod Deus subinde ad Sacerdotes & Præsides populi sui miserit Prophetas, tanquam ἐργασίας, & fructuum exactores, ac primò quidem pauciores, postea verò plures missos fuisse Prophetas, ut vel tandem & Proceres populi, & populus ipse sui admonerentur officii, & fructus

vineæ Domino redderent. Frustra igitur & otiose quæritur, quinam per primum, secundum & tertium servum intelligendi veniant. Per primum servum Glossa ordinaria intelligit MOSEN, per secundum DAVIDEM (alii ELIAM) per tertium totum Prophetarum chorum, (alii Eliseum, alii Johannem Baptistam) sed quia Moses ante introductionem in terram Canaan fuit missus ad populum Israëliticum, ac post missionem tertii servi plures adhuc in parabola dicuntur missi, quod non convenit Johanni Baptistæ, ideò hæc accommodatio non est satis conveniens. Notandum igitur in parabolis, non esse singulorum etiam minutissimorum applicationem quærendam, verum principalem duntaxat scopum respiciendum, qui in eo consistit, quod CHRISTUS ostendere voluerit, Dominum DEUM Patrum Israëlitarum misisse ad illos per manum nunciorum suorum, manè surgendo & mittendo, eò quod parceret populo & habitaculo suo; at illos subsannasse nuncios Dei, & irrisisse sermones ejus, ac illuisse Prophetis ejus, sicut hæc explicatio videtur, 2. Paral. 36. v. 15. & 16. quia enim Jerusalem multos habuit Prophetas, qui olim nominabantur *videntes*, 1. Sam. 9. v. 29. inde vocatur *vallis visionum*, Esa. 22. v. 1. sed plerosque omnes pessimè excepit & tractavit. Posset tamen duplex illa missio servorum haud inconcinne eò accommodari, quod temporibus Judicum & Regum miserit Deus varios Prophetas, postea vero circa tempus Babylonice captivitatis plures adhuc miserit, per quos de imminente periculo admonerentur, cum enim post plantationem vineæ, per quam introductionem in terram Canaan intelligi superius diximus, missio illa facta sit, non potest satis commodè ad tempora Mosis prior missio referri. Idem judicium esto de variis ignominia ac injuria modis, quibus servi patrumfamilias dicuntur tractati, videlicet, quod per usitatum Hebræis syncdochæ generaliter significetur, agricolas non solum non reddidisse debitos fructus, sed eorum etiam exactores indignis modis tractasse. Ut ergo in missione servorum numerus certus pro incerto, ternarius scilicet pro eo servorum numero ponitur, qui sufficere ad emendationem agricolarum debuisset, quique à maximè longanimi paterfamilias expectari potuisset: ita per eandem syncdochæ figuram pulsatio, vulneratio & cædes servorum ponitur pro omnis generis verbalibus & realibus injuriis, quibus Præsides Israëliti populi sanctos Prophetas affecerunt. Quamvis enim Scriptura in specie non commemoret, quo modo singuli Prophetæ à persecutoribus tractati, & quo mortis genere vitam finierint, tamen in genere de crudelitate Procerum, qua adversus ipsos usi fuerunt, testatur 2. Reg. 21. vers. 16. *Sanguinem innoxium (Prophetarum, ut apparet ex vers. 10.) fudit Manasses multum nimis, donec impleteretur Jerusalem hic & illic.* 2. Paral. 36. v. 16. *Illi subsannabant nuncios Dei, & irridebant sermones ejus, illudabantque Prophetis.* Matth. 23. vers. 37. Luc. 13. vers. 34. *Jerusalem, qui occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt.* Actorum 7. vers. 52. *Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri?*

vestri? & occiderunt eos, qui prænunciaverunt de adventu justii, hoc est: Messie. 1. Thess. 2. v. 15. Judæi occiderunt proprios Prophetas. Cum primis verò in Epistola ad Hebræos cap. 11. varia injuriarum & suppliciorum genera commemorantur, quæ Prophetis veteris Testamenti à populo Israëlítico obtigerunt. Legamus, inquit Hieronymus in capite 21. Matth. Epistolam Pauli ad Hebræos, & ex ea plenissime discemus, qui servorum Domini quanta sunt perpeffi. v. 35. Alii discedenti sunt, ἐπιμαρτυροῦντες (ἐπιμαρτυροῦντες; deductum à nomine μαρτυροῦν, significante inter cætera instrumentum, quo pulsatur tympanum, videlicet fultem, quo carnifices pulsabant corpora per machinam tractoriam distenta usque ad necem, 2. Macc. 6. v. 30.) vers. 36. Alii verò ludibria & verbera experti, in super & vincula & carceres, vers. 37. Lapidati sunt, scilicet sunt (ἐπιμαρτυροῦντες, Hieronym. ferrati, ferrâ dissecti, quod referunt ad supplicium Esaiæ, de quo apud Hebræos habetur traditio, quod iussu Manassis ferrâ lignea dissectus sit. Justin. in Dial. cum Tryph. p. 114. Tertullian. adv. Gnostic. c. 8. Epiphani. de vit. Prophet. c. 11. quidam putant legendum ἐπιμαρτυροῦντες cremati sunt, cum utring; circumstent verba certum aliquod mortis genus significantia) in occisione gladii mortui sunt. Circumierunt in pellibus ovillis & caprinis (extremam pauperes & egeni, ut pellibus nondum præparatis amirici cogentur) egenes angustiiati & afflicti, v. 38. Quibus dignus non erat mundus in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ. Sed & certorum Prophetarum exempla afferri possunt, quibus obtigerunt ea, quæ Christus hoc loco in parabola commemorat. Alium occiderunt, seu verberarunt, ut Passur Sacerdos Jeremiam, Jer. 20. vers. 2. Sedecias Micheam, 1. Reg. 22. 24. alium occiderunt, ut Manasses Esaiam, & Amos: alium lapidarunt, ut Joas Zachariam, filium Jojadæ, 2. Par. 24. v. 21. Ambrosius in Lucam addit Nabothum & Esaiam. Licet (inquit) generaliter Prophetæ videantur exprimi, dat tamen lectio, ut illum, qui lapidatus est, Naboth esse credamus, cujus etiam nullum accepimus Propheticum verbum, accepimus tamen Propheticum factum, quia multos pro hac vinea futuros Martyres proprio sanguine prophetavit. Quis est ille in capite vulneratus? nimirum Esaias, cujus facilius compagem corporis serra divisit, quam fidem inclinavit, aut vigorem mentis exercuit. Exaggeratur igitur hoc loco à s. Hieronymo cælestis patrisfamilias benignitas, & extrema colonorum improbitas; patrisfamilias longanimitas, & colonorum crudelitas; patrisfamilias providentia, & colonorum negligentia; patrisfamilias benignitas elucet ex eo: 1. Quod de reddendis fructibus agricolas admonet. Debuissent illi sponte fructus debitos mittere; sed cum id facere negligenter, admonet eos officii. 2. Quod post injuriam uni atque alteri servo illatam non statim vocat ingratos agricolas ad promeritas pœnas. 3. Quinimò alios subinde mittit servos, & quidem plures prioribus, ut multitudine monitorum pudefacti suum vel tandem facerent officium. 2. Paral. 36. v. 15. mittebat Dominus Deus per manum nunciorum suorum mane surgendo. Sic ergo Dei bonitas cum hominum malitia & ingratitude quasi certare videtur, ut dura ipsorum corda vel tandem emolliat. Quo ergo ore, quâ fronte asseritur, Deum ex absoluto decreto quosdam,

Harm. Tom. II. vel Gerbard. Contin. pars prim.

& quidem maximam humani generis partem ad æternum exitum damnaſſe? Agricoliarum improbitas variis modis exaggeratur. Quemadmodum enim Christus in primo parabola membro ostendit ad summa Dei beneficia in vineam, hoc est, in populum Israëliticum, collata nil addi potuisse, ita in hoc secundo membro ostendit ad summam impietatem & malitiam agricoliarum nil accedere potuisse. Primò enim non agnoscent summum hoc beneficium, quod cælestis patrisfamilias vineam suam ipsis elocaverat. Num. 16. v. 19. nec faciunt suum officium in vinea colenda & curanda, ut possent fructus patrisfamilias offerendos facere, Esai. 3. v. 14. Depasti estis vineam meam. Jerem. 12. v. 10. Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt portionem meam, posterunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis. Quod enim non solum coloni vineæ, sed etiam populus vitibus comparatus, suo defuerit officio, patet tum ex querelis Prophetis, Deut. 32. v. 9. 2. Ex vite Sodom est vitis eorum, ex vitibus Gomorrhæ vinea eorum, vinea veneni, botri amaritudinum sunt eis. vers. 33. Fel Draconum vinum eorum, & venenum aspidum crudele. Esai. 5. v. 4. Expectavi, ut vinea faceret uvas, & fecit labruscas; Jerem. 2. v. 28. Plantavi te vineam optimam, totam ipsam semen verum, & quomodo conversa es, mihi in sarmenta vitis alienæ? Mich. 7. v. 4. Optimus eorum est, ut paliurus, & rectissimus sepes spinarum, ex quibus non possunt colligi uvæ, Matth. 7. v. 16. tum ex clausula parabola, in qua Christus de toga gente Judaica dicit: Aufertur à vobis regnum Dei, videlicet propter sterilitatem, & pessimos vestros fructus, ac tradetur genti facienti fructum ejus. Et quia culpa hujus sterilitatis, ac pessimorum fructuum, magnâ ex parte residebat penes agricolas in officio suo delides, ideò meritò ad impietatem agricoliarum populi sterilitas, & corruptio referretur. Si in vinea colenda, & curanda, suum fecissent officium, non ita egissent cum servis, sed proventum vineæ suo labori, & expectationi, non respondiſſe obvertissent. 2. Ipsimet sponte debebant fructus offerre patrisfamilias, sed obliviscuntur se colonos esse, & vineam sibi volunt propriam vendicare, sicut postea dicunt: Hereditas erit nostra. 3. Negant obedientiam vineæ Domino, cujus conductitii erant coloni. 4. Admoniti à servis Domini sui ad sanio rem mentem redire debebant, sed adversus monitores insaniunt & insurgunt. 5. Negant fructus patrisfamilias, quos non exposcit alieno tempore, sed cum esset tempus fructuum. 6. Noverant hoc sine ablegatos ad se patrisfamilias servos, in quos cum non verentur esse injurii, in ipsum patremfamilias scientes peccant. 7. Paterfamilias non exigebat omnes, vel immodicos fructus, sed partem duntaxat fructuum jure sibi debitam, pro qua vinea ipsis erat elocata. 8. Non uno ignominia & injuria genere servos afficiunt, sed alios verberant, alios lapidibus obruunt, alios occidunt, quæ distributio injuriarum, quas boni servi à malis colonis fuere perpeffi, improbitatem ipsorum exaggerat. 9. Eandem auget æqualitas conditionis, erant servi ejusdem Domini, cujus ipsi erant coloni conductitii. 10. Injurii sunt adversus eos, qui non morosè cum ipsis agunt, sed verbis

Ff 3

ami-

amicis officii eos admonent, & patrisfamilias nomine agunt nihil privati hic quærentes. 1. Non unum, sed plures servos pessime tractant. Numerus oppressorum auget scelus colonorum. Chrysofostomus homil. 69. in Matth. hanc colonorum improbitatem sic exprimit: *Cum debuissent ad preces confugere, quia reddere non habebant, non modò id non fecerunt, sed etiam supplicia intulerunt, & cum pœnas ipsi dare deberent, de aliis pœnas sumpserunt, & Prophetarum sanguine manus contaminarunt.* Ambrosius lib. 9. in Luc. p. 144. *Non letitia vino, non spiritali musto, sed cruento Prophetarum sanguine torcularia redundarunt. Jeremias in lacum missus est, hæc enim erant torcularia Judæorum repleta non vino, sed sanguine.* Apparet autem ex hac indigna servorum ad agricolas missorum tractatione. 1. Duo esse servorum genera, qui in vinea Dominica sunt constituti. Quidam sunt fideles Dei servi, dignitatem nominis ipso opere adimplentes, 2. Tim. 4. v. 5. qui voluntati divinæ se conformes egerunt, & fructus à vinea, & cultoribus ejus repetunt. Quidam verò sunt ἐργαὶ δολοί, 2. Cor. 11. v. 13. καὶ κακοί, Phil. 3. v. 2. qui gloriantur quidem se Dei servos esse, sed revera sunt servi Satanæ, quales erant hi coloni genuinos Dei servos indignis modis tractantes. 2. Servos Dei non esse æstimandos ex conditione & sorte externa, quam in hoc mundo ut plurimum experiuntur satis miseram. Videmus enim servos patrisfamilias malè fuisse mulctatos, contra verò pessimos colonos gloriam & dignitatem apud homines habuisse, Matth. 5. v. 10. 3. Eandem adhuc hodie fideles Dei servos experiri in hoc mundo fortem. Quamvis enim quidam ipsorum singulari Dei protectione à persecutionibus hostium sint liberi, flagris tamen haud injurià dicuntur cœdi, cum auditorum obrectationibus, & murmurationibus flagellantur; vulnerantur in capite, quando sinistram intentionem ad præstandum suum officium afferre, & ex ambitione, vel lucri cupiditate docere dicuntur; lapidantur, quando obstinato corde auditores verbo prædicato resistunt; occiduntur, dum pravis exemplis ad peccata, quæ sunt animarum mortes, auditores eos pertrahere nituntur, 2. Pet. 2. 8. de Lotho dicitur, quod Sodomitæ, apud quos habitabat, de die in diem animam ipsius iniquis operibus ἐβλαστάνει, cruciaverint, 1. Cor. 15. v. 31. dicit Apostolus, se quotidie mori, propter quotidianas adversitates Evangelii causa sustinendas. 4. Causam odii erga servos Dei oriri ex eo, quod Dei nomine ab hominibus fructus Deo debitos exigant, jam verò omnis exactor debiti molestus & ingratus est debitori. 5. Rogandum esse Deum, ut fideles operarios mittat in vineam suam, qui fructum Deo reddant temporibus suis. 6. Et quando eos mittit, tum ut legatos Dei in honore habendos esse, 1. Thess. 5. v. 12. 1. Tim. 5. v. 17. ne ob contemptum eorum justam Dei indignationem incurramus. 7. Haud rarò contingere, ut qui coloni vineæ divinitus sunt constituti, sint jurati fidelium Dei servorum hostes. 8. Ac proinde ordinarios Ecclesiæ Doctores posse errare, & in seductores ac persecutores degenerare. Exemplo sunt non solum Proceres populi Israëliti, de quibus in parabola propriè Christus agit,

sed etiam Pontifices Romani, qui anathematis fulmine percusserunt, & Politico Magistratui interficiendos tradiderunt eos, per quos de abolendis doctrinæ corruptelis sunt admoniti, ut ex Johannis Hussi, Hieronymi Savanarolæ, & aliorum historia manifestum.

Duplici huic servorum missione succedit 3. legatio ipsius filii. In ejus discrimine proponitur, 1. Patrisfamilias consultatio. Dixit autem Dominus vineæ: *Quid faciam: mittam filium meum dilectum* Verbum illud, *quid faciam?* desumit Christus ex Esai. 54. *Quid debui ultra facere vineæ meæ?* Sensus enim est: *Quid amplius vel ulterius faciam, ut ingratos colonos servorum meorum interfectores ad saniorum mentem reducam, quorum culpa accidit, ut ex vinea non percipiam fructus mihi debitos? Mittam filium meum,* qui cum sit servus longè eminentior, in majori apud ipsos erit honore & reverentia. Missi hactenus complures servos, sed quia coloni se æquali cum ipsis conditione frui cogitantur, ac propterea ipsorum admonitiones admittere noluerunt; age, *mittam filium meum,* in quo me ipsum presentem, conspicati ad emendationem sese perducere patientur. Quod paterfamilias secum deliberans introducit, nequaquam significat consultationem propriè loquendo in Deo habere locum, cum ipsi nihil sit ignotum, nec unum altero magis notum, ex quo fundamento Scaliger rectè disputat, Exerc. 367. Sect. 8. *Deum non egere consilio, tanquam medio aut instrumento, aut idea ad gubernandum, ac tam impianæ vocem in divinis esse consilium, quàm est pluralitas Deitatis, cum Deus non disceptet, non ratiocinetur, non proponat, non colligat, non cum alio conferat, non ab ullo accipiat, cumq; ipsi omnia sint præsentia, quæ tamen de propria verbi significatione accipienda sunt, ἀποπροπαδῶς enim in Scripturis etiam consilium Deo tribuitur, Job. 15. v. 8. Ps. 33. v. 11. Esa. 28. 29. cap. 46. v. 10. Jer. 23. v. 20. cap. 32. v. 19.* Quidam ergo statuunt, hoc ad contendam duntaxat parabolam adjectum esse, nec ullâ ratione ad cœlestem patremfamilias applicari debere. Sed cum non sit verissimile, otiose illud à Christo additum esse, idèò rectius dicitur, per hanc consultationem denotari primò ineffabilem Dei erga colonos vineæ, & totum genus humanum amorem, qui impulserit ipsum, ut non potuerit quasi quiescere, quin omnia experiretur media, ac remedia, quibus ad pœnitentiam & salutem coloni perducerentur. Similis enim loquendi formula extat in dicto Prophetico amore Dei erga Israëlitas describente. Os. 6. v. 4. *Quid faciam tibi Ephraim, quid faciam tibi Juda?* c. 11. v. 8. *Quomodo dabo te Ephraim?* &c. atque emphaticè hoc loco additur: *Mittam filium meum dilectum,* quasi dicat, carus quidem mihi est filius, interim amor generis humani urget me, ut hunc etiam mittam. Deinde singularem Dei providentiam, quod non temerè, nec fortuito inscius eorum, quæ filio in mundo erant eventura, ipsum miserit, sed singulari consilio. Per *Filium* autem Christus se ipsum intelligit, quod ne ipsis quidem Sacerdotibus, contra quos hæc parabola dirigebatur, erat ignotum. Hunc filium suum misit cœlestis paterfamilias ad vineæ colonos, & totum genus

genus

genus humanum tum per incarnationem, tum per ablegationem ad officium prædicandi Evangelium & redimendi genus humanum, de qua missione Christus ipse in Evangelica Historia sæpius concionatur Matth. 10. vers. 40. cap. 15. vers. 24. Luc. 4. vers. 18. Joh. 3. vers. 17. cap. 4. vers. 34. &c. 2. *Consilium hujus executio. Itaque cum unum adhuc haberet filium dilectum suum, novissime misit ad eos etiam filium suum postremum dicens: Cum viderint filium meum, forsitan reverebuntur eum.* Quidam statuunt in Græco textu esse trajectory. *ἔτι ἓν υἱὸν ἔχον ἀγαπητὸν αὐτοῦ, existimant enim esse hic quandam appositionem & ad ἓνα subaudiendum ἀγαπητὸν οὐσιαστικὸν hominem domesticum, quod ex præcedentium collatione sit manifestum. Sed non opus est, ut eo abeamus, simplicissimum enim textus sic verti potest. Cum ergo adhuc unicum haberet filium, magno opere sibi carum. Syrus reddidit, in fine unus dilectus filius erat ei. Neque tamen per vocabulum ἔτι significatur, Deum non habuisse plures servos sive Prophetas quos mitteret, sed hoc duntaxat innuitur, quod omnes illos miserit, quos ab æterno mittere decreverat, quod tot miserit servos, quot mitti ex salute vineæ ipsi fore visum, quodque nihil spei reliquum fuerit per alios servos quicquam proficiendi, si vel maxime plures fuissent missi. In voce ἀγαπητὸν est magna emphasis, per eam enim Christus primò revocat eos ad vaticinia Prophetica, in quibus Messias dilectus Dei Filius dicitur. Esa. 42. v. 1. uti etiam ad vocem Patris cœlestis, quæ in Baptismo audita erat: *Hic est Filius meus dilectus* Matt. 3. v. 17. Marc. 1. v. 11. Luc. 3. v. 22. Item ad parabolam Esa. 5. v. 1. *Cantabo dilecto meo canticum, ex quo loco majorem hujus parabolæ partem Christus transsumsit. Deinde exaggerat Dei benignitatem, quod ad ingratos & immorigeros colonos dilectum suum filium mittere non dubitaverit. Denique accusat colonorum improbitatem, quod dilectum Filium ex amore missum cum amore & reverentia excipere debuissent, cum prorsus contrarium fecerint. Dicitur autem paterfamilias hunc suum dilectum filium misisse novissime, tandem, item ἔχατον ultimo loco, Syrus reddidit לורר in fine & תורר novissime, postremo, non quod filius ratione dignitatis & status servis sit inferior, cui cogitationi ipsa appellatio Filii occurrit, & in Græco non additur articulus τὸ ἔχατον sed simpliciter dicitur ἀπέστειλε τὸν υἱὸν ἔχατον, verum ideò hæc particula adjicitur, quia post omnes Veteris Testamenti Prophetas in fine sæculi, cum veniret plenitudo temporis Gal. 4. vers. 4. missus est Heb. 1. v. 1. Postquam Deus πατρὸς ἡμῶν καὶ κυρίου ἡμῶν olim locutus est Patribus, ἐπὶ ἔχατον τῶν υἱῶν τῶν πατέρων locutus est nobis per Filium; & quia post missum Filium nullus amplius expectandus est Propheta, cum ipse sit Legis & Prophetarum finis sive complementum Matth. 5. v. 17. cap. 11. v. 12. Rom. 10. v. 4. Quod missus dicitur πρὸς αὐτοὺς sc. γεωργούς, non est accipiendum exclusivè, quod ad eos solos missus sit Filius, quia ad totum populum Judaicum ratione officii Prophetici & ad totum genus humanum ratione officii Sacerdotalis missus est, sed ἐξ ὀχλου, quod præcipuè ad eos missus sit, ut ipsos tanquam populi doctores & præ-**

si les ad emendationem perduceret, sanato enim capite corporis sanitas sperari potest. Neque id accipiendum est eo sensu, quasi hi agricola videl. Præpositi ac Præsides populi fuerint iidem numero cum illis, ad quos servi sive Prophetæ prius mitterant missi, sed quod gentis & successionis in officio respectu cum antecessoribus suis conferantur. Ut enim una vinea censetur totus populus Israëliticus, qui ab introductione in terram promissam usque ad Christi adventum vixit: ita quoque unus ordo colonorum censetur Sacerdotes & Rectores populi, qui in officio vel Sacerdotali vel Politico πρὸς ὄνησιν τοῦ λαοῦ successerunt, sub diversis licet nominibus Judicum, Regum, Ducum, Principum populi, Seniorum, Sacerdotum & Scribarum, &c. Quando paterfamilias filium mittere decrevit, dixisse introducit: *Cum viderint filium meum, forsitan reverebuntur eum.* Dicere hoc loco accipitur de λόγῳ ἐν ἀγαπητῷ, ut sit idem, quod cogitare, sub intelligitur enim παρὰ αὐτῶν ἐνεργησάντων est idem, quod ἀδελφῶν ἐμῶν movebuntur respectu, vel reverebuntur, orta significatione ex eo, quod ii, quos pudet, faciem avertere soleant ab illis, quorum aspectum non sustinent. Sensus igitur est, pudore moti faciem ab eo deflectent, nec ejus vultum aspicere sustinebunt, ut eum offendant. In hac significatione usurpatur Luc. 18. v. 2. & 4. de reverentia erga Deum 1. Cor. 4. v. 14. 2. Thess. 3. v. 14. Tit. 2. v. 8. Hebr. 12. v. 9. de pudore coram hominibus. LXX. utuntur pro שרר erubuit, pudore suffusus est. Esa. 24. v. 23. c. 44. v. 11. ac conjungunt cum ἀσχηνοῦμαι, cum pudoris consequens & signum sit faciei aversio Pl. 34. v. 29. Pl. 39. v. 19. Pl. 69. v. 2. Pl. 70. v. 26. ubi in Heb. est שרר erubuit. Utuntur & pro כבד humiliatus est, Lev. 26. v. 41. Jud. 3. 30. &c. & pro ענה quod itidem significat humiliatus est Exod. 10. vers. 3. quæ significatio pulchrè huic loco congruit, cum viderint filium meum, humiliabuntur, agnoscent se graviter peccasse, quod servos tam malè tractaverint. Item pro פחד pavidere, formidare, Esa. 44. vers. 1. quæ significatio itidem huc applicari potest, pavebunt coram facie filii mei cum autoritate & potestate venientis. Tamen si servos meos hæcenus contemserint, tamen filium meum reverebuntur, & a facie ejus timebunt. Si eum non amabant, certe metuent, & fructus vineæ ipsi dare erubescant, propius enim referet meam personam filius, quam servi eam retulerunt. Syrus apud Matthæum & Marcum habet verbum ברת ex Heb. ברש literis ב ר ש in ת mutatis. Jam pudebit eos ob filium meum, jam erubescant in filio meo, hoc est verecunde eum reverebuntur. Apud Luc. habet verb. בחר abscondent se præ pudore, scilicet ob crudelitatem, qua adversus servos meos usi sunt. Plutarchus hoc verbo ἐνεργησάντων usus est in ea significatione, quando in Institut. Lacon dicit: τὰς νέας ἔδειξέ μοι τὸν υἱὸν τοῦ πατρὸς καὶ τὸν υἱὸν τοῦ υἱοῦ, ἀλλὰ πῶς τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν ἐνεργησάντων. Quod verò additur ἴσως fortè, forsitan reverebuntur, varias peperit significationes. Cum enim Deus certò præcierit eventum hujus missionis, non videtur ei particula hæc dubitandi convenire. Aristot. 2. Rhetor. ἀμφισβητῆρες πρὸς τὸ θεῖον δὲ τὸ ἴσως καὶ τὸ πάλαι, sicut Medicus in desperato morbo dicit, dabo illi hoc, fortè sanabitur, ut sit

ut sit particula affirmandi, sed cum dubitatione. Quidam igitur statuunt, hoc membrum duntaxat ad prosequendam & contendam parabolam à Christo esse adjectum. Non enim prædixit Deus hoc futurum, quod contra accidit, nec spe melioris eventus contrario modo se habentis deceptus est, sed Christus parabolam prosequens tribuit patri suo, quod homini patrifamilias fuisset congruum, quodque verisimile erat dominum vineæ, cum filium suum mitteret, disturum fuisse. Homo non potuit scire, fore ut coloni filium patrisfamilias occiderent, potius debuit credere, fore ut revererentur. Huic explanationi cognata est ea, qua statuitur ἀνθρώπων πατρὸς Deo hoc tribui. Loquitur, inquit, Deus in persona patrisfamilias hominum more affirmans, quod est verisimile futurum, sicut pantere quoque Deum dicimus, cum consilium non tenuerit. Ambros. lib. 5. de fide cap. 8. Est in divinis consuetudo, ut Deus dissimulet se scire, quod novit. Quod de hominibus loquitur Pater, humano locutus videtur affectu. Hieronymus in cap. 12. Marci statuit esse ironiam: in cap. 21. Matth. ad liberi arbitrii in homine significationem accomodat, sic differens: Simile quid in Jeremia scriptum est, si forte audiant & agant penitentiam. Loquitur autem hac Deus ambigenti affectu, ut liberum hominis monstret arbitrium. Huic sententiæ affine est, quod Chrysostomus, Euthymius & Theophylactus statuunt, significari hac particula, quod coloni non fuerint Dei & præscientia & prædictione ad occidendum filium coacti. Forsitan dixit (inquit) non ut ignorans futurum, quod pejus filium affecturi essent, quam Prophetas, sed illud dicit, quod fieri debebat, debebant autem illum revereri. Hac autem proprietas sepe in Scriptura reperitur, ut cum dicitur, si forte audiant, nec, enim illic ignorans futurum ita dicit, sed ne quidam præscientiam Dei necessariam inobedientie causam esse dicant, idcirco ejusmodi verborum figura utitur. Bernhardus ferm. 5. in nativ. mysticè sic explicat: Verebuntur filium meum, ait Pater misericordiarum. Verum id quidem Domine, reverentur eum, sed qui? Non planè Judei ad quos missus, sed electi, propter quos missus est. Reveremur eum nos in presepio, reveremur eum in patibulo, reveremur in sepulchro, devotè suscipimus tenerum propter nos, cruentum propter nos, pallidum propter nos, sepultum propter nos reveremur. Simplicissimè dicitur, hoc adjici ad significandum, quid colonos facere æquum erat. ἴσως enim propriè significat æqualiter seu pariter, notat igitur par, æquum & consentaneum esse, ut fiat id, de quo est. LXX. utuntur pro ἴσως. 1. Reg. 16. v. 6. quæ est affirmativa certè, profectò, utique. Pro ἴσως Marcus habet ὅτι, quod respondet Hebræorum כִּי id verò quandoque significat certè, profectò, verè. Genes. 37. vers. 36. quæ significatio optimè huic loco congruit, ut sit sensus profectò reverebuntur filium meum. Syrus habet vocabulum כִּי quòd significat non solum forsitan, fortassis, sed etiam, modò, nunc jam; atque ita reddidit hoc loco Tremellius, Jam videbunt filium meum & abscondent se præ pudore. Neque hic tam significatur quid futurum, quam quid æquum sit, ut fiat juxta regulam, quod verba actionem significantia apud Hebræos pro jure & æquo sæpius ponantur Gen.

10. vers. 9. quæ non sient, hoc est, quæ non debent fieri. 1. Reg. 3. 5. quod dabo, hoc est, debeo dare. 2. Reg. 3. 37. qui pro ipso regnabit, hoc est, regnare debebat. Matth. 26. v. 52. gladio peribunt, hoc est, debent perire. Heb. 5. v. 4. nemo sibi sumit honorem, hoc est, debet sumere. Reverebuntur, hoc est, æquum erit, ut reverentur; ut poterunt, ita enim debent eum revereri, quo sensu Luc. 7. v. 42. dicitur: Quis plus eum diligit, hoc est, debet diligere vel æquum est, ut diligit, ut sic & causæ æquitas & agricolarum debitum significetur. Chrys. homil. 69. in Matth. Dicit forsassis verecundabuntur, & γένηται ὁ Φαίλος, quæ debuissent fieri, enarrans, verecundari enim procul dubio debuissent. Exaggeratur autem in hac filii ablegatione cœlestis Patris benignitas. 1. quod post tot servos malè multatos & occisos nondum tamen desinit exactorem fructuum mittere. 2. quod ipsum filium suum mittit, non ex indigentia, quasi non habuerit alios, quos insuper mitteret, sed ex amoris exuberantia, ut agricolas ad sanioerem mentem perducatur. 3. quod mittit filium suum unicum, ac proinde. 4. longè dilectissimum, unicus enim & unigenitus filius carior esse solet, amor paternus in plures liberos divisus redditur erga unum eorum remissior. 5. quod mittit illum non fortuito nec temerè, sed præmeditato consilio. 6. quod mittit filium, non qui ad obnoxios pœnæ sententiam ferentem, sed patientiæ veniam & post tot scelera adhuc eis misericordiæ locum servat, sic enim dicit: Forsitan filium meum reverebuntur. Ergo misit confundere illos, non punire. Nam pro tantis injuriis benigno Domino sufficiebat sola vindicta pudoris, ut loquitur Aut. imperf. 7. quod tam benignum ac tam liberalem debiti exactorem mittit, qui seipsum in debiti exolutionem ipsis obtulit, modo vera fide ipsam recipent. Quia verò ratione operis redemptionis Christus ad totum genus human. missus est, & quia adhuc hodie Filius per Verbum & Sacramenta ad nos venit, ideo æquum est, ut hanc ineffabilem Dei erga nos benignitatem, qua ad peccata nostra longo tempore connivet, spatium penitentiae nobis concedat & verbi sui depositum apud nos adhuc conservat, grato corde agnoscamus ac filium revereamur, sive ut Paltes loquitur, eum osculemur Ps. 2. v. 12. quod osculum non solum amoris, sed etiam reverentiæ & subjectionis symbolum est. 1. Sam. 10. 1. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 4. divinitatem Filii ex hoc parabola membro colligit: Vide, inquit, quod antea servos, postea filium nominavit, ut scias quod Dei Filius unigenitus secundum divinitatis potentiam nec nomen habet nec consortium commune cum servis, reverendus mittitur, non cum famulis conferendus. Et bene addidit meum, ut non unus de multis, nec degeneris Nature aut minoris alicujus potestatis, sed verus à vero paterna imago venisse substantia crederetur. Sequitur Ambrosius hac in re Irenæum qui libr. 4. cap. 70. ex hac parabola probat eundem esse Deum Patrem, qui Prophetas olim miserit, & à quo postea Filius missus fuerit, sed addit: Filium quidem quasi à Patre veniens principali autoritate dicebat: Ego autem dico vobis. Servi autem quasi à Domino serviliter & propter hoc dicebant: Hec dicit Dominus. Idem argumentum urget Aut. imperf. op. in Matt. hom. 40. Quando, inquit, adhuc cogitabas

Pater de mittendo Filio post Prophetas, jam Filius erat, nec post incarnationem demum dicitur Filius ex Baptismo, sicut & ceteri Sancti. Deinde si eo modo dicitur Filius, sicut omnes Sancti, ad quos factum est verbum Dei, debuit etiam Prophetas Filios dicere, sicut & Christum, aut & Christum servum dicere, sicut & ceteros Prophetas, ex qua re Prophetas quidem servos omnes, hunc autem solum Filium appellavit.

3. Contrarii eventus subsecutio. Speraverat paterfamilias, fore ut agricolæ filium ad semisum revererentur, sed contrarium profus accidit. Revereri debebat, illi vero cum vidissent filium, cogitabant intra se & dicebant inter se: Hic est heres, venite occidamus eum, ut nostra fiat hereditas & occupemus hereditatem ejus, & nostra erit hereditas. Neque duntaxat consularunt de interficiendo filio, sed etiam sanguinarium suum consilium executioni dederunt, sicut paterfamilias non tantum secum deliberaverat de mittendo ad colonos filio, sed etiam consilium suum in executionem deduxerat per Filii sui missionem. Etenim apprehensum illum eiecerunt ex vinea, & extra vineam occiderunt. Proponitur ergo in hoc membro primo sanguinaria colonorum consultatio *οἱ δε γεωργοί*. Particula adversativa *δε* adversantem colonorum animum & contrarium ipsorum consilium exprimit. In ruborem filii aspectus eos dare debebat, sed ipsi redduntur efferaiores. *ιδόντες τὸν υἱόν*, cum filium viderent in vineam scilicet venire vel venisse ad debitos vineæ fructus exigendos, inde in quodam exemplari additur *θεασάμενοι αὐτὸν ἐρχόμενον πρὸς αὐτοὺς*. Quia solus veniebat Filius, non exercitu vel satellitio ministrorum stipatus, ex eo facile intelligere poterant, ipsum venire, non ad exigendas crudelitatis in servos commissæ pœnas, sed ad fructus exigendos & pœnitentiam ipsis persuadendam. Tantum vero abest, ut filium reveriti fructibus vineæ vel tandem reddendis cogitaverint, ut mox consilium de eo occidendo inierint. *Διὰ λογίαν εἰδοὺς* & secum ratiocinari, & cum aliis consultare significat, unde dicuntur homines *Διὰ λογίαν εἰδοὺς πρὸς εἰσαυτοὺς*. Marc. 9. v. 33. *περὶ εἰαυτοῖς* Matt. 21. v. 25. *ἐν ταῖς καρδίαις εἰαυτῶν* Marc. 2. v. 6. Luc. 5. 22. quod congruit ad priorem significationem; & *Διὰ λογίαν εἰδοὺς πρὸς ἀλλήλους* Marc. 8. vers. 16. quod ad posteriorem significationem congruit, & *ἐν εἰαυτοῖς* Matth. 16. vers. 7. Marc. 2. v. 8. quod utroque modo accipi potest, *intra se*, id est, apud se, in animis suis; & *inter se*, hoc est, mutuo sive invicem. Utraque significatio hic locum habet, dicuntur enim *Διὰ λογίαν εἰδοὺς* & *ἐν εἰαυτοῖς* & *πρὸς εἰαυτοὺς* λέγοντες. Ergo non solum in animis secum taciti cogitarunt de filio occidendo, sed etiam sermones hac de re invicem contulerunt. Syrus apud Marcum reddidit, *dixerunt in animabus suis*, apud Lucam *ratiocinabantur in animabus suis* & *dixerunt*. Quod enim sanguinarium suum consilium non contrinuerint in animis occultum, sed sibi invicem illud communicaverint, patet non solum ex verbis *ἄπαν* & *λέγοντες*, sed etiam ex verbis exhortatoriis, quibus se mutuo ad consilium illius executionem exhortantur. *Hic est heres*, inquit, *devenite, agite, occidamus eum*, *ut nostra fiat hereditas*, hoc est vinea, quæ huic filio tanquam heredi unico debetur. Occiso enim unico filio paterfamilias

negligentius tractabit hereditatem filio debitam, licq; facili negotio eam nobis poterimus in proprietatem vendicare. *καταχρῆσθαι* occupemus, obtineamus, inusitatum enim illud thema *καταχρῆσθαι*, quo *καταχρῆσθαι* tempora mutuatur, idem est quod *κρατῆν*, vi aliquid occupare & detinere, neque enim tantum significat obtinere; sed etiam invadere, sicut apud Platonem dicitur *τὴν ἀρχὴν καταχρῆσθαι*, ac apud Isocratem in Panathenaico, *ὡς εἴπερ ἂν ἅπαντες καταχρῆσθαι*, servare ea, quæ semel obtinuerunt, ea quibus semel potiti sunt. Utraque significatio hic locum habet, coloni enim non solum cogitant vineam herilem occupare, sed eandem etiam detinere. Syrus habet verbum *ἔλαβον* ex Hebræo *לָקַח* in *ἔλαβον* mutato, quod itidem significat occupavit, apprehendit, detinuit. Chrysostomus legit, *ὡς καταχρῆσθαι*, ut obtineamus vel possideamus vineam, sed potest sine nota causæ finalis simpliciter legi, *καταχρῆσθαι*, & ex Marco addi, *ὅτι ἡμῶν ἔσται ἡ κληρονομία* ut sic *καταχρῆσθαι* apprehensio & occupatio statuatur ab ipsis: medium vineæ in perpetuam possessionem sibi vendicandæ. Stolidi verò & pessimi est hæc consequentia colonorum: *Hic est heres, Ergo occidamus eum*. Debuissent potius sic inferre, sicut paterfamilias ipsos inferre docuit: *Hic est herilis filius vineæ heres: Ergo eum revereamur, ipsum vineæ dominum præsentem in eo intuiti, & de admissis in servos peccatis feriam pœnitentiam agamus*. Eiusdem farinae vel potius furfuris est etiam altera consequentia: *Occidamus filium: Ergo hereditas ejus erit nostra*. At superstes adhuc erat paterfamilias, ad quem vineæ hereditas omni jure pertinebat. Debuissent potius contrarium ratiocinatione sua inferre: *Si occiderimus filium, non solum ab hereditate vineæ excludemur, quia heres scriptus, qui Testatorem occidisse comprobatur, jure hereditatis excidit lib. 3. ff. de his, quæ ut indigna aufer, sed etiam à cultura vineæ removebimur, quinimo tanquam parricidii rei vitam ipsam amittemus*. Sed insana cupiditas vineam occupandi mentis oculos instar ejusdam densæ nebulæ præstinguit, quo minus lucem veritatis & aequitatis videant. Proposuerant sibi vineam sibi vendicare, inde quibus possunt modis ac mediis, etiam nefariis & detestandis, avaritiam suam explere & ambitionis suæ frena laxare cogitant, ac in hoc scelere confirmat ipsos priorum facinorum successus & patrisfamilias longanimitas. Malè tractaverant & occiderant servos, nec propterea ad pœnas revocati fuerant, statuunt igitur ipsum quoque filium impunè occidi posse. Tali ingenio erant etiam præditi fratres Josephi, qui invidia & odio excæcati, veniente ad se Josepho dicebant Genes. 37. vers. 20. *Ecce somniator venit, venite occidamus eum, & tunc apparebit, quid profint illi somnia sua*; eodem modo affectus fuit Achab, qui innocentem Nabothum occidit, ut vineam ejus obtineret. 1. Regum 21. vers. 16. *auditores Jeremiæ, qui consilia adversus ipsum cogitabant dicentes Jeremiæ 11. vers. 19. Perdamus arborem cum fructibus ejus & excindamus eum de terra viventium; impii contra justum sic consultant* Sap. 2. vers. 12. *Circumveniamus justum, quia inutilis est nobis & contrarius est operibus nostris, & c. v. 13.*

Pro-

Promittit se scientiam Dei habere & filium Dei se nominat. Hæc omnia totius præfigurata sanguinaria Procerum Judaicorum consilia contra Christum, ad quæ etiam hoc parabola membrum respicit. Illi enim cum viderent Christum passim haberi pro Messia & Dei Filio, inierunt consilium de ipso interficiendo, ut vineam Dominicam sibi in proprium peculium vendicarent. Thom. part. 3. quasi 47. art. 5. Lyran. & Tostat. in com. Matth. 21. occasione horum verborum quarunt, utrum Judæi cognoverint Jesum Nazarenum esse Messiam Filium Dei? Pro negante quaestione parte videtur Christi oratio Luc. 23. v. 34. Remitte illis, quia nesciunt, quid faciunt; dictum Petri Act. 3. v. 17. Scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri, & verba Pauli 1. Cor. 2. v. 8. Si cognovissent, nunquam Dominum glorie crucifixissent. Affirmantem quaestionis partem confirmare videntur verba hujus parabola. Hic est heres, venite occidamus eum. Item quod Nicodemus suo & Collegarum nomine dicit Joh. 3. v. 2. Scimus, quia à Deo venisti, Magister, nemo enim potest signa facere, que tu facis, nisi fuerit Deus cum illo, quodq; Christus ipsis objicit Joh. 7. v. 28. Et me scitis & unde sim; ac Joh. 15. vers. 24. Si opera non fecissem in eis, que nemo alius facit, peccatum non haberent, nunc autem & videntur & oderunt & me & Patrem meum. Idipsum probare videtur evidentiâ testimoniorum, per quæ Christus demonstratus est Messias & Dei Filius. Hoc enim facile potuerunt cognoscere ex testimonio Joh. Baptista, quem omnes habebant Prophetam, ex voce Patris cœlestis in Baptismo publicè audita, ex efficacia doctrinæ, ex majestate signorum, ex fide populorum, ex impletione omnium, quæ de Messia in Prophetis erant prædicta; videbant Christum opera merè & verè divina facientem, ac quæ de Messia oraculis Prophetarum prænuntiata erant, omnia exactissimè perficientem, ignotum ergo ipsis esse non poterat, Christum esse promissum Messiam ac Dei Filium, unde Chryl. in com. 1. Cor. 2. vers. 8. dicta pro negante quaestionis parte sic explicat: quod non tam de persona Christi, quam de salutari passionis & mortis fructu sint intelligenda. Justin. in quaest. & resp. ad orth. quasi 140. pag. 377. distinctione quaestionis nodum solvit. Ignorantiam inquit, dupliciter dicitur. Aut enim non sponte sua quis ignorat, cum eas res non habeat, quæ ipsum ad cognitionem perducant, aut voluntate sua ignorat, cum res ad cognitionem eum ducentes habeat & nosse tamen nolit. Atq; hanc destinatam ignorantiam ἀγνοίαν solita est Scriptura sacra nominare aliquando inscitiam, aliquando scientiam, ut eam dicit: Et me nostis & unde sim, nostis, pro eo quod est. Ex operibus meis & nomine meo & sermonibus meis potestis nosse veritatem, nam qui per mendacium fallit, opera talia edere non potest. Et cum ab agricolis heres ea est agnitus, quod cum viderant in præsentia vita, operum editione & filii appellatione, supra omnem esse hominem juxta evidentem parabola descriptionem. Sed tum, quod illum post mortem ejus Deus è mortuis ad vitam immortalem esset resuscitaturus, & facturus heredem universorum, non cognoverunt. Nam & ipsa perspicua parabola descriptio ejus rei dilucidam & apertam non habet designationem. Lyran. respondet, quod Judæi habuerint veram æstimationem de Christo & in habitu & in actu in principio, sed quando cepit contra eos prædica-

re, excitati fuerunt contra eum passionibus iræ, rancoris & invidia, quibus passionibus impediabantur ab actuali consideratione veritatis præbilitæ de Christo. Potest etiam addi illud, quod vilitate aspectus externi & passione Christi fuerint scandalizati, quod minus certa fide statuerent, ipsum esse Messiam & Dei Filium, ut apparet ex verbis ipsorum Matth. 27. v. 42. Si Rex est Israel, descendat nunc de cruce & credemus ei. v. 43. Condidit in Deo, liberet nunc eum, si vult, dixit enim, Filius Dei sum. Atque hæc sententia utilem præbet doctrinam, quod scandalo crucis multi impediuntur, quò minus membra Christi, veræ Ecclesiæ cives & Dei filios agnoscant. Burgenis addit. 4. in cap. 21. Matth. monet, verba agriculturalium in hac parabola, quando dicunt, hic est heres, non posse rationabiliter intelligi, quod æstimaverint ipsum esse heredem in divinitate, eo modo quo Apostolus dicit Hebr. 1. v. 2. quem constituit heredem universorum. Nulla enim amentia ad tantam pervenire potest insaniam, ut credat divinam majestatem in propria persona superare. Quando igitur dicunt, hic est heres, intelligunt hunc hominem tantæ esse excellentiæ, ut possit vocari Filius Dei, non per Naturam, sed per specialem adoptionem & excellentiam, respectu aliorum Prophetarum, ex quo infert: Judæos per affectatam quandam ignorantiam non cognovisse Christi divinitatem. Simplicius respondetur, in hac appellatione respectum haberi ad regnum, quod Messia tradendum in Scripturis Prophetis prædictum noverant. Hic est heres, hoc est, hic est unicus ille filius patris familias, qui vineam nobis elocavit, huic destinatum est regnum super populum Israëliticum. Heres ergo dicitur, non quod Patri cœlesti mortuo successurus sit in regnum, sed quod dominium ac regnum dono Patris ipsi futurum sit perpetuum, juxta vaticinia de Messia in Ver. Testam. passim edita. Esa. 9. v. 7. Jer. 23. v. 5. cap. 33. v. 14. Daniel. 7. y. 14. &c. Dixerunt autem, hic est heres, quando agnoverunt ipsum esse Messiam ac Dei Filium, de quo prædictum erat ipsum fore heredem, hoc est, dominatorem Psalm. 2. vers. 7. quando conquesti fuerunt, quod rotas mundus post ipsum abeat, hoc est, pro Messia & Rege ipsum agnoscat Johan. 12. vers. 19. quando inscii fuere vaticinati, quod omnes in eum sint credituri Johan. 11. v. 48. hoc enim vel maxime ad hereditatem Messia & regnum ejus spirituale pertinet, quando Nicodemus omnium nomine dixit: Scimus, quod à Deo venisti, Magister, quia nemo potest signa facere, que tu facis, nisi fuerit Deus cum illo Johan. 3. vers. 2. divina enim illa signa sive miracula evidens testimonium Christo dabant, quod sit promissus Messias, Dei Filius & heres universi à Patre constitutus. Alterum illud, venite occidamus eum, dixerunt, quando quaesiverunt eum apprehendere, Johannis cap. 2. vers. 30. & interficere, Johannis cap. 8. vers. 40. quando lapides sustulerunt, ut in eum projicerent vers. 59. quando Caiaphas omnium nomine dixit: Expediit nobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Johan. cap. 11. vers. 50. quando cogitaverunt, ut interficerent eum, v. 53. ac mandatum dederunt, ut si quis cognoverit, ubi sit, indicet, ut apprehendant eum. vers. 57. quando eum singulis diebus in templo docentē, quaesiverunt per-

deus, Luc. 18. vers. 47. quia Scripturæ in more positum est, facta describere per verba, ac verbalia ponere pro realibus, dicta pro factis, vocari pro esse. 2. Reg. 8. v. 1. *vocabit Deus famem*, hoc est, inducet. Esa. 7. v. 14. *vocabitur Emanuel*, hoc est, erit. Mich. 4. v. 2. *gentes dicent, ascendamus in montem Domini*, hoc est, convertentur ad verum Deum Israelis. Sic & hoc loco: *Dixerunt, occidamus eum*, hoc est, ipso facto quasi verum eum interficere. Et quia ea, quæ in parabola sequuntur de executione hujus sanguinariæ consilii, sunt Prophetica, nondum enim Judaici Proceres Christum occiderant, idè etiam hæc consultatio de Christo interficiendo potest accipi prophetice de consultatione Sacerdotum mox secutura, quæ passionem proximè præcessit & describitur Matth. 26. v. 4. Marc. 14. v. 1. Luc. 22. v. 2. ac de altera consultatione, quæ in ipso passionis tempore instituta. Matth. 27. v. 1. Marc. 15. v. 1. Luc. 22. v. 66. Quod additur colonos dixisse: *Occipemus hereditatem & nostram erit hereditas*, id quomodo Procerum Judaicorum machinationibus conveniat, non uno modo explicatur. Cum per vineam omnium consensu intelligatur populus Israeliticus, idè quidam simpliciter in hoc sensu accipiunt, quod Proceres Judaici, cum viderent totum populum sequi Christum, ipsum occiderint, ut populum à Christo iterum abstraherent. Cum hac explicatione ferè congruit, quod quidam statuant, Sacerdotes avaritia & ambitione turgidos secum sic cogitasse: En hic Jesus non finit nos pro nostro arbitrio cum populo agere, producit in lucem nostram hypocrisin, traducit vitia nostra, sicque auctoritatem nostram minuit, vendentes & ementes ex templo pellit, occidimus ergo eum, sic liberum & merum imperium in populum nobis stabiliemus. Quidam explicationem quarunt ex Joh. 11. v. 48. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani & tollent nostrum locum & gentem: ut sit sensus: Occidamus eum, ne forte Romani, audientes venisse ad nos novum Regem, cui totus jam dum adhæreat populus, arma contra nos moveant, templum & urbem occupent, à Sacerdotii dignitate nos excludant, & populum universum in miseram captivitatem abducant. Author oper. imperf. eò accommodat, quod metuerint, ne defineret consuetudo offerendarum victimarum, ex quibus quæstus ad ipsos redibat longè uberrimus. Postquam (inquit) Christus in templum introiit, & omnes vendentes animalia, quæ ad sacrificium vendebantur, foras ejecit, in quibus Sacerdotes avari tunc delectabantur, tunc præcipuè cogitaverunt eum occidere, dicentes intra se: Si populus istum habuerit Deum, necesse est, ut dimittat consuetudinem hostiarum, quæ ad nostrum pertinent lucrum & acquiescat offerri sacrificium justitiæ, quæ ad gloriam Dei pertinet, & sic jam non erit populus iste possessio nostra, sed Dei. Glossord. in c. 21. Matt. sic explicat: *Hereditas Christi, quam resurgens possedit, Ecclesia est, quam moliebantur præripere Judæi, dum fide ejus extincta, justitiæ, quæ ex lege est, gentibus persuadere conabantur. Hanc explicationem pulchrè deducit Brent. hom. 33. in Luc. Promissa, inquit, erat per Christum in Prophetis remissio peccatorum & vita æterna. Et hæc est hereditas cælestis, quæ superat omnia regna & imperia**

hujus seculi. Pontifices autem & Pharisei concluserrant jam aliquot seculis hereditatem in sua ipsorum scrinia, non ut ipsi per fidem usurparent eam, & sectarentur vera opera vitæ, sed ut cum docebant remissionem peccatorum & vitam æternam contingere propter merita operum legis & traditionem Seniorum, venderent eam, quibus vellent, & rursus, quibus vellent, auferrent eam; h. e. ut pro libidine sua dominarentur in populi conscientias, & nunc ipsos cælo, nunc iterum inferno pro suo arbitrio obicere viderentur. Cum igitur Christus polliceretur juxta Prophetarum vaticinia remissionem peccatorum & vitam æternam gratis per fidem in ipsum, ibi tum Pontifices & Pharisei de regno suo actum esse putantes, si doctrina Christi promoveretur, hoc maxime omnium egerunt, ut interficerent ipsum, quo pacto sperarunt se non solum opes & dignitates suas conservaturos, sed etiam regnum suum ita confirmaturos, ut nemo nisi ipsorum auctoritate & arbitrio cælum & vitam æternam consequi posset. Quia verò in animis Pontificum diversi affectus & varia vitia locum habuerunt, quibus ad necem Christo intendendam sese impelli passi fuerunt, videlicet avaritia, ambitio, hypocrisis, persuasio justitiæ propriæ, invidia, odium, &c. idè hæc interpretationes optima ratione conjungi possunt. Occidamus eum, ut hæreditas fiat nostra, id est, ut populum à Christo abstrahamus, ut honori nostro, quem reprehensionibus suis plurimum minuit, consulamus, ne quæstui & lucro ex sacrificiis ad nos redeunt quicquam decedat, ne extremo periculo à Romanis metuendo universum populum objiciamus, neve conculcata legis justitiæ fidei doctrina locum obtineat. *Tolerabile verò esset, ait Brentius, si hæc impietas una cum Pontificibus & Phariseis Judaicis concidisset. Nunc autem hoc demum horrendum est, quod etsi Judaici Pontifices conciderint, impietas tamen eorum revixerit in iis, qui gloriantur esse Ecclesie capita. Hæ enim, ut retineant auctoritatem suam in extrudendis mercibus indulgentiarum, in vendendis meritis operum ac sanctorum, in liberandis animabus è purgatorio, in dominando Angelis, Regibus & Principibus, cælum terræ miscent, bella & seditiones commovent, & bonos quosq; Evangelicos seu confessores seu professores non persequuntur tantum, sed etiam, si queunt, crudelissimè trucidant. Cum enim doctrina Evangelii promittat credentibus in Christum gratis remissionem peccatorum, sperant illi fore, ut hæc doctrina extincta hereditas cælestium & terrestrium bonorum in ipsorum manu ita confirmetur, ut quem volunt in regnum cæli & regnum terræ ponant, & quem rursus volunt, è regno proturbent, ac in infernum pro suo arbitrio conjiciant. In genere eodem modo cum Proceribus Judaicis sunt affecti, quotquot vias obliquas sectantur, ut ad scopum pravis suis cupiditatibus præfixum perveniant, qui faciunt malum, ut obtineant falsum & apparens bonum Rom. 3. 8. qui honoris & commodi sui stabiliendi causa in proximum non verentur esse injurii. Non solum Sacerdotes, ait Autor imperf. op. sed etiam omnes homines carnales hoc solum existimant suum, & hoc lucrum habere se de hac vita arbitrantur, quod secundum carnem delectati fuerint in hac vita. Quemadmodum verò Judaici Sacerdotes non potuerunt per medium istud illegitimum ac nefarium scopum sibi præfixum obtinere, sed contrarium profus accidit, quia enim occiderunt Christum, inde non solum sperata possessione, sed etiam cultura*

cultura vineæ privati fuere, & vicissim, quia Christus pro Dei gloria & salute humani generis occisus est, ideo hæreditatem obtinuit Ps. 27. Ps. 110. v. ult. Phil. 2. v. 9. August. serm. 59. de verb. Dom. *Christum occiderunt heredem, & ideo perdidit hereditatem. In contrarium eis vertit malum consilium; ut possiderent, occiderunt, & quia occiderunt, perdidit: ita quoque sanguinaria impiorum hominum consilia Deus intervertere & ad finem intentioni ipsorum profus contrarium dirigere novit, sicut Josephus ad fratres suos dicit Gen. 50. v. 20. Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum.* Illo ipso medio, quo Josephi fratres ejus exaltationem impedire voluerunt, ad eandem promovendam Deus usus est. In Christo etiam hoc loco speculum divinæ omniscientiæ, personaliter assumptæ humanitati communicatæ nobis proponitur. Joh. 2. v. 25. c. 21. v. 17. Col. 2. 3. &c. Quamvis enim in diebus carnis sive in statu exinanitionis omniscientiam illam sibi communicatam in carne & per carnem non semper plena luce exuerit, sed radios ejus quasi retraxerit: tamen ut ostenderet exinanitionem non esse omnimodam ipsius communicatæ omniscientiæ depositio- nem, sed plenarii duntaxat usus evacuacionem, ideo particulares quosdam ejus radios interdum exeruit, sicut hoc loco ambitionem, avaritiam & sanguinaria Pontificum consilia in cordibus ipsorum latentia omnibus manifestat.

Secundò succedit sanguinariæ consilii executio. Quæ in parabola hætenus Christus proposuit, fuerunt Historica; quæ verò sequuntur, ea tunc, quando Christus parabolam proposuit, prophetica fuerunt, hodie verò nobis utraq; sunt Historica. *Et agricole apprehensum illum (patrisfamilias filium) ejecerunt de vinea, & ejectionem extra vineam occiderunt, & λαβόντες αὐτόν.* Vulgata reddidit, *apprehendentes eum, quasi positum sit κρατοῦντες.* Erasmus vertit, *& arreptum eum,* ac si positum sit *καρπώσαντες αὐτόν, λαμβάνοντες* enim violentæ apprehensionis sive comprehensionis significationem hic obtinet, quo modo etiam usurpatur Luc. 9. v. 39. Joh. 19. v. 1. Act. 2. v. 23. λαμβάνοντες πόλιν apud Xenoph. Hellen. 3. dicitur, qui *καρπώσας* eas accipit. LXX. utuntur pro *κρατοῦντες* apprehendit. Exod. 15. 14. Efa. 21. 3. quod alibi reddunt per *κρατοῦν* Ruth. 3. v. 15. 2. Reg. 6. 6. &c. Item pro *κρατοῦν* quod fortem apprehensionem significat Jud. 7. v. 20. Syrus apud Matthæum habet verbum *κρατοῦν* formatum ex Hebræorum *קראט*, apud Marcum *קראט* quod simpliciter accipiendi significationem habet, pro violenta tamen acceptatione sive ablatione ponitur Luc. 10. v. 42. Hic ergò primus injuriæ adversus herilem filium fuit gradus, quod agricolæ ipsum cum pæce venientem non exceperint pacificè nec blandis verbis, sed violentis manibus illum arripuerint. Deinde comprehensum extra vineam ejecerunt. Id *ἐκβάλλοντες* itidem violentæ ejectionis & expulsionis significationem habet Matth. 7. v. 22. c. 8. v. 12. c. 9. v. 25. c. 21. 12. &c. Syrus habet verb. *קראט* quo utitur Joh. 2. v. 16. de ejectione vendentium ex templo. Sensus igitur est, quod impetu in filium herilem facto à vinea eum expulerint. Fautent hunc esse vineæ hæredem, & tamen extra vineam eum ejiciunt, eo ipso testatum reddentes, quod nolint ipsum agnoscere & habere domi-

num vineæ. Denique ejectionem extra vineam occiderunt, qui fuit supremus injuriæ & crudelitatis gradus. Hæc omnia Christo à Judaicis Proceribus obtigerunt. Neque enim ipsum afferentem pacis nuncium & Evangelii verbum audire & recipere voluerunt, sed penitus repudiaverunt, tradiderunt eum Pilato & gentibus, deduxerunt eum extra urbem Hierosolymam, quæ erat sedes regni & Sacerdotii in populo Israelitico, quo universus populus sacrificiorum offerendorum causa convenire consueverat, ut eum sancti hujus populi consortio indignum à se judicari testarentur, occiderunt etiam non solum, quia sententiam mortis adversus ipsum tulerunt, antequam Pilato eum traderent, sed etiam importunis suis clamoribus & confictis calumniis Pilatum permoverunt ac populum concitaverunt, ut sententia mortis executioni daretur, unde disertis verbis testantur Evangelistæ, quod *Pilatus Jesum tradiderit ipsorum voluntati, ut crucifigeretur* Matth. 27. vers. 26. Luc. 23. vers. 25. ac Petrus ipsis tribuit, quod *autorem vitæ interfecerint* Act. 3. vers. 15. Sic ergò Christus denuò radium aliquem divinæ suæ omniscientiæ exerit. Prædicit non solum mortem, quam post triduum à Proceribus Judaicis erat passurus, sed etiam locum mortis, quod extra portam Hierosolymæ passurus sit Hebr. 13. v. 11. ut impleretur typus sacrificiorum, quorum *sanguis in sancta per Pontificem inferebatur, corpora autem extra castra cremabantur* vers. 12. Ostendit igitur, se non solum videre abscondita cordium secreta, dum sanguinaria ipsorum consilia in lucem producit, sed etiam futura ipsorum opera, dum passionem & mortem tum temporis adhuc instantem prædicit, præterita enim pro futuris hic ponuntur more Prophetico. Voluit autem hac prædictione occurrere scandalo, quod ex passione & morte suo oriturum noverat, ut omnes agnoscerent, nil quicquam sibi obtingere, quod non exactè præsciat, ac proinde post mortem hujus prædictionis reciperent. Cumprimis verò agricolarum impietas & crudelitas hoc loco exaggeratur. 1. Post tot Prophetarum injurias & cædes etiam adversus herilem filium insurgunt. Non nudum hominem, sed ipsum Patris cœlestis Filium occiderunt *θεοβλαπτέον* illi, quos Christus in hac parabola tangit. 2. Peccant ex *προαίρεσει* & destinata malitiâ. *Hic est heres*, inquit, ergo non ignorant, qualis sit, quem rejiciunt. 3. Vix dum viso filio statim cogitant ipsum occidere, non audiunt, quæ mandata Patris nomine afferat, sed solo ejus aspectu in rabiem aguntur. 4. Extra vineam ejiciunt eum, ad quem vineæ hæreditatem pertinere ipsum agnoscunt. 5. Occidunt innocentem, qui ob servos nefariè occisos ipsum met mortis erant rei. 6. Ob temporale commodum non venentur parricidii crimen committere, & innoxio sanguine manus suas commaculare. Ut ergo fuit summus benignitatis & longanimitatis gradus, quod paterfamilias loco iustissimæ vindictæ pacem colonis offert, & Filium pacificatorem ad ipsos mittit: ita summus impietatis & crudelitatis fuit gradus, quod coloni unicuique patrisfamilias filium nefariè trucidare non reformidant. Ambr. lib. 9. in Luc. p. 144. *Occiderunt*

erucifigendo, ejecerunt negando. Breviter quàm multa, quàm magna! Primum quia naturalis est bonitas, quæ plebimque credit indignis. Deinde quia postremum remedium malorum Christus advenit, tùm quoniam, qui heredem negat, de autore desperat. Heres autem Christus, idemq; testator. Heres, quia morti proprie supervivit, & Testamentorum, quæ ipse condidit, tanquam hereditaria in nostris profectibus emolumenta consequitur. Hinc referrì possunt omnia illa divinæ benignitatis documenta, quæ in missione Filii conspici diximus superius, ea enim omnia & singula colonorum, benignitatem illam repudiantium, impietatem exaggerant. Apparet etiam ex hac colonorù impietate, per certos peccatorum gradus ad summum tandem fastigium conscendente, verum esse illud Gregorii: *Facundum est peccatum, non ibi desinit, ubi incipit.* Itemq; languinem piorum Dei servorum semel à persecutoribus gustatum postea plus appetis, unde à proposito malè cœpto nolunt postea desistere, sed cum Christum ipsum in membris suis persequantur & occidant Act. 9. v. 5. ideo idem ipsis tandem continget, quod in tertio membro Christus porrò subiungit, quando post expositam patrisfamilias in vinea plantanda & omnibus necessariis exornanda sedulitatem, inque eadem agricolis locanda bonitatem, ac requirenda certa fructuum parte æquitatem, ac vice versa colonorum perverstatem & crudelitatem, prædicat justissimè pœna severitatem, quæ ingratos & pessimos illos colonos certò sit secutura.

Constat hoc membrum quatuor partibus. Prima exponit Christi quæstionem: *Cum ergo, inquit, venerit dominus vineæ, quid faciet illis agricolis?* Quidam statuant, hanc quæstionem ad plebem directam fuisse, cum Lucas ad plebem parabolam hanc dictam fuisse memoret, cumque non sit verisimile, ipsos Principes sententiam contra seipsum dixisse, & ad respondendù tam promptos fuisse, qui paulò antè se responso suo esse illaqueatos noverat, deniq; cum paulò post audito hoc responso dicant, *absit.* Quod ergo apud Matthæum sequitur, λέγουσιν αὐτῷ, illud accipiunt in definitum, dicunt illi scilicet, quidam ex promiscuo auditorum cœru. Sed ostendimus superius, rectius statui, quod primum quidem Principes Sacerdotum & populi responderint, malos illos colonos malè perdendos esse, ignorantes scilicet contra semetipsos ferri sententiam, ut est apud Matthæum. Deinde vero, cum Christus responsum hoc repeteret & confirmaret, ac vel aliquo vocis sono, vel verbis quibusdam additis significaret, dominum vineæ omninò ipsos, ut qui sint pessimi vineæ coloni, perditurum, tunc respondisse, illud vel inficiatorium vel deprecatorium, *absit*, ut est apud Lucam. Quare uti Christo in hac parabola scopus iste fuit propositus, quod ambitionem, avaritiam & crudelitatem Procerum Judaicorum in lucem producere voluit: ita quoque quæstionem hanc de secutura colonorum pœna ipsis proposuit, ut suo semetipsos iudicio condemnarent. *Cum venerit Dominus τὸ ἀμπελῶν*, hujus vineæ, quam tantà benignitate plantavit, & ex qua æquissimo jure fructus expectavit. *Cum venerit* adducto secum exercitu, sicut paulò post additur Matth. 22. v. 7. *quid faciet illis agricolis?* num impunitò relinquet atrox illud facinus & immanem illam crudelitatem, qua coloni non solùm servos, sed ipsum etiam filium patrisfamilias interfecerunt? Hoc schemate

Harm. Tom. II. vel Gerhardi Contin. pars prima.

interrogationis Christus utitur. 1. Ut deducat nos ad cap. 5. Esaiæ, ex quo hæc parabola maximà ex parte est desumpta. Ibi enim v. 3. dicit paterfamilias eodem fere modo: *Judicate inter me & vineam meam*, ac v. 5. *Ostendam vobis, quid faciam vineæ meæ.* 2. Ut propriam ab ipsis confessionem eliciat, & suo illos jugulet gladio. Illos ipsos igitur, contra quos principaliter directà erat parabola, interrogat, eosque facit judices, ut sententiæ judicariæ æquitas magis elucescat. 3. Ut cœcitatem ipsorum in lucem producat. Videbantur sibi pulchrè sapere, sed suis ipsorum retribus capiuntur, & in foveam, quam Christo pararunt, incidunt. 4. Ut ostendat vim veritatis, quæ clausos etiam ferit oculos, quamque ipsimet ejus hostes in cordibus suis sentiunt. 5. Ut doceat, Deum nemini injuriam facere, cum nullum condemnet, nisi quem propria conscientia accuset. 6. Denique ut typum futuri judicii extremi, in quo unusquisque damnatorum de se fatebitur, justam se perpetui ultionem, ob oculos nobis ponat. Autor oper. imperf. in Matth. homil. 40. *In hoc seculo, ubi licet hominibus aliud sentire in corde, aliud dicere in sermone, tamen ita veritate Christi circumdantur homines & tenentur, ut ipsi adversus se judices fiant. Putas quomodo in die judicii convincendi sunt peccatores in suis peccatis, ita ut nullum colorem excusationis inveniant, ubi ipsa opera statuentur ante oculos peccatoris, ubi animam ipse cogitationes cordis accusabunt, &c. cum Dominus cultores spiritualis vineæ suis parabolis sic circumclusa erit, ut ipsi scilicet suâ sententiâ condemnarent. Quis illum defendet, qui seipsum accusat? At quis eum existimet innocentem, qui seipsum pronunciat reum? Væ anime, quæ sibi defensionem conscientia non preeparat in die judicii. Datur enim nobis exemplum, ut per hoc judicium consideremus futurum judicium Christi. Simon de Cassia libr. 6. de gest. Salvat. cap. 23. Magno sed horrendo documento instituitur, quod neminem Deus damnabit, nisi quem propria conscientia incusabit? Quoniam sic sunt justa divina judicia, ut unusquisque de se pronunciet, justam perpetui ultionem, cum plenè cognoverit à seipso derelictam justitiam, & iniquitati animam & membra corporis tradidisse. De hoc Christi ad judicium adventu quidam accipiunt verba parabolæ, *Cum venerit Dominus ad judicium*, hoc est, quando Pater in Filio & per Filium ad judicium veniet. Ambros. lib. 9. in Luc. p. 144. *Venturum Dominum dicit vineæ, quod in Filio etiam adsit paterna majestas, vel quod ultimis temporibus presenior humanis aspiret affectibus.* Sed quia additur, quod Dominus vineæ in hoc adventu suo non solùm colonos malè perditurus, sed etiam vineam suam aliis elocaturus sit, ideo rectius accipitur de adventu ad infligendas pœnas hujus vitæ, quo sensu Deus venire dicitur Gen. 11. v. 7. cap. 20. v. 3. Psal. 50. v. 3. &c. interim non excluduntur pœna æternæ, quarum initium & prægustus in pœnis hujus vitæ impiis proponitur, inde Esaias pessimis illis colonis pœnas in die novissimo expectandas minatur cap. 3. v. 14. *Dominus ad judicium veniet cum Senibus populi sui & Principibus ejus, vos enim depasti estis vineam meam.* Videmus igitur duplicem adventum Domini nobis describi. Prior est *adventus gratiæ*, quando paterfamilias vineam suam plantat, muniat, ornat, agricolis elocat. Posterior est *adventus ire*, quando vineæ colonos ad judicium vocat & debitas pœnas ipsis irrogat ob neglectam*

Gg

vineæ

vineæ culturam, fructus denegatos, servos & filium interfectos.

2. *Procerum Judaicorum responsio. Ajunt illi, malos male perdet illos, & vineam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructus temporibus ipsorum.* Tria in hoc responso prædicunt. Primò malos colonos male perdendos. Hoc ex lumine Naturæ discere potuerunt, quod improbitas & crudelitas agrorum justis afficienda sit supplicii, inde saniorum gentiliū pronuntiata, partim ex inlitis notitiis, partim ex ipsa experientia petita occurrunt hujusmodi. *μεγάλαν ἀδικημάτων μεγάλην εἶσι τιμωρεῖται.* Quod quisq; facit, patitur; autorem scelus invenit. Rarò antecedentem scelus deseruit pede pena claudo. Quinimo hoc ipsum dictum transit apud Græcos in proverbium ex communi ipsius Naturæ sensu. Aristophanes in Plauto introducit paupertatem sic loquentem: *κακὸς κακῶς δαπέλεισθαι.* Est autem pulcherrima in eo paronomasia, *κακὸς κακῶς ἀπέλεισται*, quia mali sunt, ideò etiam malo mulctabuntur exitio. Non exprimitur speciem peccati in agricolis, sed in genere dicunt ipsos esse malos, ingratos scilicet erga vineæ dominum, negligentes in officio, injustos in denegandis fructibus, & arripienda aliena possessione, injurios contra servos, & sceleratos adversus filium herile. Nec exprimitur speciem supplicii, sed in genere dicunt, *male eos perdet*, hoc est, malo mortis genere è medio ipsos tollet, vel etiam multis malis prius affectos pro meritis perdet, sicque uno quasi complectuntur fasciculo omnia pœnarum genera ingratis colonis metuenda. Quidam hoc referunt ad *κόλασιν δαπέλων*, bene perditur, inquit, qui ad correctionem; male, qui ad damnationem perditur. Syrus reddidit, *male male perdet illos*, hoc est, pessimè: Hebræis enim usitatum, superlativum gradum repetitione positivi exprimere, Gen. 25. v. 30. 1. Sam. 2. v. 3. Prov. 20. v. 14. Eccles. 7. v. 25. Jerem. 24. v. 3. In Græco ut & Syriaco additur *ἀντὶς* ex idiotismo Hebræo, quod Latinus interpres sine sensu detractione omisit. Et quia vox *ἀπολλομι* non tantum de pœnis temporalibus, sed etiam æternis usurpatur Matth. 10. v. 28. Luc. 9. v. 25. Joh. 3. v. 15. &c. eo ipso innuitur, utroque pœnarum genere pessimos illos agricolos esse afficiendos. Secundò vineam aliis agricolis elocandam. Hoc itidem naturalis æquitas ipsos docuit. Quando enim paterfamilias debitos à colonis suis non percipit fructus, jus habet rescindendi elocationis contractum & alios quærendi colonos. *ἐν δόστῃ* hic ponitur pro *ἐκμισθώσεται*, in qua significatione Evangelistæ paulò antè hoc verbo usi sunt. Syrus reddidit, *possidere faciet* sive possidendam tradet. Opponitur autem hoc tum cogitationibus agrorum, *occidamus filium herilem, & hereditas erit nostra*: contrarium enim prorsus accidit, videlicet quod ob cædem filii & possessione & culturâ vineæ exciderint, tum perditioni eorundem: Colonos quidem male perdet, sed vineam non perdet aut excidet, verum aliis agricolis eam elocabit. Tertiò novos illos colonos reddendos paterfamilias fructus *ἐν τοῖς καιροῖς αὐτῶν*, suis, hoc est, statis & opportunis temporibus, ut respectus habeatur ad leges elocationis, in quibus certa solvendorum annuorum fructuum tempora definiri solent. Hoc verisimiliter colligere potuerunt ex eo, quòd novi isti agricolæ exemplo priorum male perditorum cautiore sint futuri, ne easdem incurrant pœnas. Hæc omnia in Proceribus Judaicis postea sunt impleta,

sicque fatales sibiipsis Prophetæ fuere. Post annos namque quadraginta Dominus vineæ ipsos male perdidit, quando per Romanos & urbem & totam regionem ipsorum funditus devastavit, quiq; temporali hac perditione ad saniores mentes non sunt perducti, illos in die novissimo æterno exitio adjudicabis. Neq; tamen penitus repulit Deus populum suum Rom. 11. v. 2. sed ex Judæis & gentibus sibi Ecclesiam N. Test. colligere cœpit, quæ propterea una atq; eadem cum populo Israëlítico V. Test. censetur vinea sive Ecclesia, quia in locum Judaicorum Procerum & maximæ partis populi Judaici à Deo reprobata, successerunt gentiles ad regnum Christi per Evangelium vocati Act. 13. 46. qui unâ cum reliquiis Judæorum unum corpus mysticum constituerunt. Tunc ergo Deus Ecclesiæ suæ vineam locavit aliis, hoc est, repudiatis Sacerdotibus Hierosolymitanis præfecit Ecclesiæ suæ Apostolos & fideles eorum in officio successores, *myseriorum suorum dispensatores*. 1. Cor. 4. v. 1. qui fructus vineæ Deo reddiderunt, hoc est, qui populum N. Test. eâ fidelitate instruxerunt, ut uberimos bonorum operum fructus proferret Act. 2. v. 41. c. 4. v. 4. Tit. 3. v. 14. quam explicationem Christus ipse in applicatione parabola postea tradit. Ut ergo in primo & secundo parabolæ recitationis membro cœlestis patrisfamilias *benignitas*, æquitas & longanimitas; ita in hoc tertio membro ejusdem *severitas* consideranda nobis proponitur. Non perpetuò connivet ad scelera, non floccipendit, sed *requirit sanguinem servorum & filii sui* Pf. 9. v. 19. Pf. 10. v. 12. ad justam igitur tandem exurgit pœnam, & quia ingrati coloni omninò cupiunt liberari à reddendis debitis fructibus, liberat eos, sed alio modo, quam eo, quem sibi proposuerant, supplicium scilicet ab ipsis fumendo, & vineam suam aliis agricolis locando. Et quia in Deo est mirabile justitiæ & misericordiæ temperamentum, inque *ira sua recordatur misericordiæ suæ* Pf. 98. v. 3. Hab. 3. v. 2. ideò non perdit unâ cum pessimis colonis vineam suam, nec dederit penitus Ecclesiam, sed in locum populi Judaici eligit gentes, & malis colonis ab officio remotis substituit alios fideles colonos.

3. *Responsi approbatio.* Quia Proceres responderant illud ipsum, quod rei Naturæ & æquitas requirebat, & quod sequens eventus comprobatur erat, ideò Christus ipsorum responsum approbat dicens: *Profecto veniet Dominus vineæ, & perdet agricolos, & dabit vineam aliis*, hoc est, rectè respondistis, rectè adversus vos ipsos sententiam tulistis, vosmetipsi estis tales vineæ coloni, vobis hoc obveniet, quòd malis illis colonis eventurum prædixistis. Tale enim quid hic subintelligendum esse, & Christum vel aliquo vocis sono, vel verbis quibusdam additis innuisse, quòd ipsi sint pessimi illi coloni, ex circumstantiis textus in coagmentatione parabola superius ostendimus. Lucas in sequentibus dicit, quòd *ipsos incivitus* fuerit, hoc potest etiam retrahi & eo modo intelligi, quòd hæc ipsa verba directâ oculorum suorum in eos acie protulerit, ut ex hoc gestu dicentis intelligere possent, ad se prædictionem illam de gravissimis improborum colonorum pœnis pertinere. Cum enim ad promiscuum auditorum cœtum parabolam cœpisset dicere, ut est apud Lucam, postea oculos suos ad Sacerdotes, Scribas & Seniores, contra quos parabola præcipuè directâ

directaerat, convertit, cum de pœna improborum colonorum agere inciperet, ut sese nominatim peti intelligerent. Ergo conciones redargutoria, ratione delicti, & aliarum circumstantiarum, habitæ exemplo Christi, ita quandoque institui possunt, ut non solum ipsi delinquentes, sed etiam reliqui auditores intelligant, ad quos in specie redargutio illa pertineat, 1. Tim. 5. v. 20. sicut etiam postea proditorum suum Christus buccellæ oblatione notat, Joh. 13. v. 26.

4. Procerum Judaicorum tergiversatio. Cum hanc responsum sui approbationem Proceres audivissent, dixerunt, *Abstie*. Sine scrupulo prius responderant, pessimos vineæ colonos malè perdendos, sed cum ex verbis & gestibus, ideoque ex ipso Christi responsum illud repetentis & confirmantis intuitu intelligerent, adversus se parabolam hanc directam, seque tacite accusari, quod insistentes pessimis majorum suorum *πεπονημένοι*, vestigiis Messiam DEI Filium interficere cogitent, ac propterea malum exitum sibi prædici, ideo mutatâ sententiâ, quod prius dixerant, limitant, subjacentes. *Abstie* *μη γενοσθε*. Stapulensis monet, hoc non esse *inficiatorium*, sed *deprecatorium*, perinde ac si dicerent, *ne fiat, ne eveniat*, ut agricolæ filium patrisfamilias occidant, ac propterea vinea aliis elocetur, primis agricolis pro delicto suo malè perditis. Et sanè *γενοσθε* ponitur in significatione *optandi*, Luc. 1. 38. Sed quia hæc formula loquendi apud Paulum usitatissimè ponitur in significatione *negandi*, Rom. 3. v. 4. 6. & 31. cap. 6. 2. & 15. cap. 7. 7. & 13. cap. 9. v. 14. & c. ideo eodem sensu etiam hoc loco accipi potest, quo modo etiam Syrus reddidit. *Non erit hoc*, quod Matth. 16. v. 22. redditur *ε μη εσται τοτο*. Non quidem negant justum esse, ut mali coloni malè pereant, quod in genere prius affirmaverant, sed 1. negant futurum, ut Messias Dei Filius reprobetur & occidatur. Fovebant enim præconceptum somnium de terreno Messia regno, cum quo hoc vaticinium de reprobatione & morte Messia nullâ ratione ipsis videbatur convenire. Hunc esse verborum istorum sensum colligitur ex Joh. 12. 34. ibi enim cum Christi prædiceret, se à terra in crucem exaltatum iri, respondent: *Nos audivimus ex lege, quod Christus maneat in æternum, & quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis?* 2. Negant Messia reprobationem & mortem à colonis, hoc est, Principibus & Præsidibus populi obventuram, cum omnes cupidissimis votis adventum ejus expectent. Hunc esse verborum istorum sensum, colligitur ex subjecta Christi responsione, in qua id ipsum ex oraculo Davidico luculentè confirmat. 3. Negant se cum pessimis istis colonis jure meritoque conferri. Quamvis enim Christi necem animis suis meditentur, tamen noluerunt ipsum pro Messia & Filio Dei agnoscere, ideoque sibi persuaserant, se non machinari necem Dei Filio, sed blasphemio & seditioso seductori, qui sit Dei & legis divinæ adversarius, qui violer Sabbathum, qui abolita quærat sacra divinitus instituta, qui sit everfor omnis religionis & cultus. Hunc esse verborum istorum sensum colligitur ex Joh. 5. 18. Propterea magis querebant eum Judei interficere, quia non solum solvebat Sabbathum, sed & Patrem suum dicebat, Deum equalem se Deo faciens, & cap. 10. 33. Propter bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam, & quia tu homo cum sis, facis te.

Harm. Tom. II, vel Gerhard. Contin. par. prim.

ipsum Deum. 4. Negant se insistere vestigiis majorum suorum, qui Prophetas interfecerant. Hunc enim esse verborum istorum sensum colligitur ex Matth. 23. v. 30. *Si fuissetis in diebus Patrum nostrorum, non essemus soci eorum in sanguine Prophetarum.* 5. Negant se malè perituros, & vineam Ecclesiæ aliis tradendam. Persuaserant enim sibi, Deum non posse Israëliticum populum, quem in peculium elegerit, & cum quorum majoribus æternum fœdus inierit, repudiare, ideo Christi comminationem exhibant, dicentes: *Abstie* hoc, ut malè pereamus. Sumus populus Dei, sumus Abrahæ filii, sumus Aaronis successores, promisit Deus se fore Deum seminis nostri in æternum, ac Sacerdotium Leviticum fore æternum. Quod ergo loqueris, stultum; quod minitaris, vanum est. Hunc esse verborum istorum sensum patet ex Matth. 3. v. 9. Johan. 8. v. 33. & ex subjecta prædictione Christi: *Dico vobis, auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus ejus.* Describitur igitur in hac Procerum Judaicorum tergiversatione natura hypocritarum, quod ex persuasione propriae justitiæ in peccatis aliorum judicandis sine rigidi; ad propria verò conniveant, ac sibi ipsis blandiantur, quod exultent in rebus pessimis, & summam impietatem summum Dei cultum interpretentur, Johan. 16. v. 2. quod propriae conscientia testimonio obniti non vereantur, quod sibi persuadeant, se Dei gremio tam arctè foveri, ut non possint eo excidere, quicquid tandem agant, & c.

Atque hæcenus de prima hujus pericopes parte videlicet de recitatione parabolæ egimus: illi secundo subjicitur ejusdem ad Principes Sacerdotum accommodatio, ad quam Christus viam sibi paraverat, tum proprio Sacerdotum de pessimis colonis iudicio, tum iudicii illius approbatione, & speciali ejusdem ad Sacerdotes directione. Cum verò videret illos tergiversari, & nolle admittere obscuriorem aliquam parabolam, opponit eis perspicuam & manifestam Scripturam. *Inuitus enim illos ait: An non in Scripturis legistis hanc Scripturam. Quid est ergo hoc, quod scriptum est: Lapidem, quem reproba verunt a edificantes, hic factus est in caput anguli, & c.* Accommodaturus ad Principes Sacerdotum, & populi parabolam inuener eos, ut ex ipso intuitu intelligerent ad se pertinere, quæ de malis colonis, & ipsorum pœna fuerant hæcenus dicta, atque ut eo fortiùs reselleret ipsorum tergiversationem, quâ culpam sceleris adversus Filium Dei meditati procul à se repellere ausi fuerant. Quando enim Christus in promiscuo auditorum cœtu quosdam in dividuo alloqui voluit, solitus fuit oculos in eos dirigere, Matth. 19. v. 26. Marc. 10. v. 21. & 27. Luc. 22. v. 61. Joh. 1. v. 42. Syrus habet verbum *ἰν* quod attentum & fixum intuitum significat, quem Græci solent exprimere per verbum *ἀτεν* *ev*. Membra accommodationis sunt tria. Primo Christus in genere remittit eos ad Scripturam: *An non in Scripturis legistis hanc Scripturam?* *εν τῇ γεγραφέῃ* scil. *ἱερῆς*, quia libri sacri *θεοπνευσται ἐφορηῶς* dicuntur *Scripturae*, Matth. 22. v. 29. cap. 26. v. 54. Marc. 12. v. 24. & c. propterea quod divinâ inspiratione editæ nihil falsum vel erroneum contineant, sed ab ipso sanctitatis fonte profectæ, per sanctos Dei homines exarata, nil nisi sanctum proponant, & sint medium, per quod Deus homines vult sanctificare, unde

unde alibi cum *ἡ ἀποδοξία* vocatur *ἡ ἰσχυρὰ ὑπερμαρτυρία*, 2. Tim. 3. v. 15. Est etiam hic quædam Synecdoche, an non legistis in Scripturis? hoc est, in libro Psalmorum, qui est pars non postrema Scripturæ sacræ, dividuntur enim libri V. T. in *Mosen, Prophetas & Psalmos*, Luc. 24, 44. vel etiam specialius in celeberrimo illo Ps. 118. quem David Spiritu Dei impulsus composuit, in quo eo statum regni Messie satis perspicue exposuit, qui etiam pueris vestris notus est, unde faustam illam acclamationem, *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, ex eo desumerunt. Remittit autem eos ad Scripturas cum quadam interrogatione, quæ magnam habet emphasin. Primò enim connexionem cum præcedentibus monstrat. Monet Aug. lib. 2. de conf. Evang. cap. 70. hanc interrogandi formulam: *an non legistis hanc Scripturam?* præsupponere quandam contradictionem, ac refellere contrariam aliorum opinionem, qui non hæc auspicuntur prius dictis. Quamvis igitur Matthæus & Marcus disertè non addant, Sacerdotes & Seniores Christo parabolam recitanti & adversus ipsos vaticinium de pœna impiorum colonorum dirigenti contradixisse, quod solus Lucas annotavit, scribens, ipsos auditâ parabolâ dixisse *abstite*; id ipsum tamen & Matthæus & Marcus tacitè innunt, quando Christum dixisse memorant ad Sacerdotes: *Nunquam legistis in Scripturis: An ne hanc quidem Scripturam legistis?* hoc enim cum prorsus idè sit, cum modò interrogandi apud Lucam: *Quid est ergo, quod scriptum est?* ex eo manifestè colligitur, contradictionem quandam Sacerdotum præcessisse, quam Christus hac interrogandi formulâ voluerit refellere. Sensus igitur est. Vobis absurdum videtur, colonos vineæ Dominicæ fore Messie hostes & interfectores, ac vineam aliis esse elocandâ. At hoc jam antè à Davide aliquot sæculis prius fuit prædictum. Si coloni vineæ non sunt reprobaturi Messiam Patris cœlestis Filium, qui est ergo, quod de architectis domus Dei à Davide in Spiritu prædictum, ipsos lapidem angularem repudiuros? Quem alium hoc oraculum habet sensum? quid aliud sibi vult Propheta Regius hac suâ prophetiâ? Quorsum spectat, si huc non spectat, & illud ipsum confirmat, quod vobis in parabola prædixi, videlicet eos, quorum est præ aliis Messiam recipere, eundem repudiuros & occisuros. Quod si igitur parabola meâ fidem adhibere dubitatis, saltem Davidi credite, quem ex Spiritu Domini Psalmos propheticos edidisse, non potestis dubitare, 2. Sam. 23, 2. Deinde tacitam quandam exprobrationem hæc interrogatio continet. Vos Sacerdotes & Scribæ scientiam Scripturarû vobis arrogatis, Luc. 11. v. 52. Vobis ab universo populo hic honor deferretur, quod ut vocamini, ita quoque sitis Legis & Scripturæ periti, Matt. 23. v. 4. adeone igitur hospites estis in Scripturis, ut ignotum vobis sit, quid hac ipsa de re in Psalmo Davidico sit prædictum? Quando enim perversam ipsorum opinionem ex Scripturis voluit refellere, & de ignorantia Scripturarum eos accusare solitus fuit, hoc interrogandi modo cum ipsis agere, Matt. 12. v. 3. & 5. c. 19. v. 4. c. 21, 16. &c. Ipsa proinde interrogatio est tacita quædam Sacerdotum & Scribarum accusatio. Vestrum erat non contradicere meâ doctrinâ, sed eandem cum oraculis Prophetis conferre, ex illis veritatem doctrinæ meæ facili negotio possitis agnoscere, sed quia carnalibus affectibus vestris indulgetis, inde

supina illa Scripturæ ignorantia vobis obrepat. Apparet igitur ex hac interrogatione, 1. Christum omnibus fidelibus, cum primis verò Ecclesiæ Doctoribus studium Scripturæ commendare. Quibus enim negotium religionis, & cura Ecclesiæ est commissa, illis Scripturæ debet esse familiaris & notissima, 1. Tim. 4. v. 13. 2. Tim. 3. v. 15. 2. In omnibus religionis controversiis ac disputationibus contra veritatis cœlestis adversarios susceptis ad iudicium Scripturæ unice provocandum esse. Hoc Christus fecit Matth. 4. v. 4. c. 22, 29. & 43. Marc. 9. v. 12. Luc. 10, 26. Joh. 5, 39. &c. hoc Apostoli fecerunt, Act. 26, 22. c. 28, 23. 1. Cor. 15, 3. &c. hos pastores quæ ovicula non sequatur? Utrumque sufficienter ex Scripturis peti potest, videlicet necessaria de articulis fidei instructio, & adversus hostes veritatis communitio, 2. Tim. 3, 16. unde verbum Dei in Scriptis Prophetis & Apostolicis propositum vocatur *gladius Spiritus*, Eph. 6, v. 17. 3. Scripturæ non in legendo, sed in accuratè legendo, scrutando & intelligendo consistere. Procul dubio Sacerdotibus & Scribis verba hujus Psalmi non fuere ignota, cum pueri Israëliti eum tenuerint, sed quia osecitanter eum legerunt, & falsis opinionibus de terreno Messie regno fascinati fuerunt, idè à genuino verborum istorum sensu plurimum deviarunt. 4. Non lectionem & studium Scripturæ, sed potius ignorantiam Scripturæ esse omnium erroris, & omnium malorum in Ecclesia fontem, Matt. 22, 29. 5. Verissimum est illud Hebræorum: *In quocumque Scripturæ loco invenis objectionem pro hæreticis, invenies etiam medicamentum in latere ejus.* Procul dubio Sacerdotes & Scribæ opinionem de terreno Messie regno confirmare voluerunt ex Ps. 118. in quo prædictum, faustis totius populi acclamationibus ipsum tanquam Regem esse excipiendum: sed Christus ex eodem Psalmo demonstrat, de eodem Messia disertè prædictum esse, quod architecti spirituales, hoc est, Primores & Proceres populi Israëliti ipsum sint repudiaturi.

Secundò, in specie adducit oraculum Davidicum Ps. 118, 22. *Lapide, quem reprobaverunt adificantes, hic factus est in caput anguli*, v. 23. *A Domino factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris.* Partes ejus sunt duæ. Prior exponit *mirabilem sortem Messie*, quod ab hominibus architectis sit reprobandus, à Deo autem glorificandus. Posterior hujus *sortis principium & eventum* explicat, quod singulari Dei providentiâ illud sit futurum & admirationem apud pios excitaturum. Antequam verò ad explicationem hujus oraculi descendamus, inquirendû est ejus *subjectum*, de quo Propheta Regius loquatur. 1. Lyranus existimat dictum hoc in sensu literali de ædificatione templi Salomonis accipiendum esse, *quasi lapis quidam aliquoties in ædificatione oblatas non potuerit convenienter collocari, ideoque aliquoties rejectus, ultimò postquam fuerit in consummatione anguli, per quem lapidem significatur Christus.* Sed Burgenis in additione 3. rectè monet, fundamentum hujus expositionis, quod extat in Historia Scholastica, esse fictum & fabulosum, cum nusquam in Scripturis authenticis legatur, quod tale quid contigerit in ædificatione templi Salomonis. 2. Hebræorum aliqui exponunt de populo Israëliti, quod is à potentibus hujus mundi reprobatus, in diebus Messie caput sit totius orbis futurus. Sed esse lapidem angularem in spiritali Dei ædificio non

non convenit toti populo Israëlitico, aliàs ædificium non esset à lapide angulari distinctum, sed soli Messia. 3. Calvinus in sensu literali exponit de Davide à Saulo & consiliariis ejus, ac regni Proceribus primum ejecto, postmodum verò in Regem evecto. Sic enim commentatur in Psal. 118. Jam David collecto animo calumniis insultat, quibus injuste, & præter meritum fuerat gravatus, &c. Nihil moror, inquit, quod rejectus fuerim à maximis quibusq;, quando re ipsa apparuit, Dei judicio me fuisse electum. Concinnâ verò metaphorâ utitur, lapidi sese comparans, ipsos verò Ecclesie primores archiepiscopos, &c. Calvinus sequitur Musculus, Mollerus & Salmeron Jesuita. Huic expositioni favet Chaldaica versio, quæ sic habet: Junorem ex filiis Isai despexerunt ædificatores, meruit verò ut constitueretur Rex & Dominus. Sed si ex mystico sensu petium fuisset argumentum Christi, non fuisset apud Sacerdotes & Scribas satis efficax. Ideo verò magni apud ipsos fuit ponderis, quia ipsimet in sensu literali & genuino de Messia hic sermonem esse intellexerunt, ut constat ex R. Salomone in comment. Mich. 5. 4. Bellarminus per lapidem angularem, Es. 28. v. 16. intelligit Romanum Pontificem, quem existimat vocari lapidem, propter sedis Romæ firmitatem divinitus fundatam; angularem verò, ad demonstrandum discrimen inter Pontificem Judæorum & Christianorum. Ille enim lapis quidem & fundamentum erat, sed non lapis angularis. Nec enim parietes duos, sed unum tantum sustentabat, sed Romanus Pontifex lapis angularis est. Nam & Judæi & Gentes, quasi parietes duo simul conjuncti, atq; unam Christianam Ecclesiam facientes, ab hoc uno angulari lapide continentur. Cumque Esaiæ vaticinium ex oraculo Davidico sit desumptum, ideò illud etiam de Romano Pontifice accipere cogitur. In manuscripto exemplari negaverat de Christo intelligi posse, sed de Pontifice Romano unice intelligendum esse, cum sequatur apud Prophetam, ponam lapidem in fundamento fundatum, id est, fundamentum post fundamentum, sive fundamentum secundarium, quod Christo competere non potest: in excusato autem exemplari corrigi se, ac verba quædam interferit. *Etsi non dubitamus hæc præcipue de Christo intelligenda esse, tamen ad Petrum quoque (& Petri successorem Pontificem Romanum) non ineptè referri possunt.* Sed ad solum Christum hoc oraculum referri debere constat ex dicto Apostolico 1. Cor. 3. v. 11. *Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id, quod positum est, videlicet Christus Jesus.* Quid quod ipse Bellarminus lib. 1. de Christo c. 4. ex hoc loco pro Divinitate Filii argumentum ducit, quod vocat *indissolubile*: agnoscere igitur cogitur, de solo Christo eum exponendum. Neque hic lapis dicitur *fundatus in fundamento alio*, sed dicitur *fundamentum fundationis, fundatio fundatissima*, totum ædificium fundans & continens, quod soli Christo competit. 5. Firmiter igitur statuimus per lapidem angularem hoc loco solum Christum intelligi, uti patet 1. ex scopo & contextu Psalmi. Scopus Psalmi est, quod Christus in eo omnes homines excitare & hortari voluit, ut maxima beneficia sua passione, morte & resurrectione generi humano parta atque præstita grato corde agnoscerent, ac describuntur in eo ipsa verba, quibus populus Hierosolymitanus Christum excepit, quando Hierosolymam ad subendam passionem solenni pompâ est ingressus. 2. Ex locis parallelis veteris Testamenti, Es. 8. v. 12. *Dominum ex-*

ercituum sanctificat, v. 13. ipse erit in lapidem offensionis & in petram scandali duabus domibus Israel. cap. 28. v. 16. *Ecce ego pono in Sion lapidem, lapidem probatum, angularem preciosum, bene fundatum. Qui crediderit, non festinabit.* Dan. 2. v. 34. *abscessus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus ferrea & sctilibus, & comminuit eos.* Zach. 3. v. 9. *super lapidem unum septem oculi sunt.* Hæc omnia nulli alii, quam soli Christo conveniunt, ut postea apparebit. 3. Ex allegatione N.T. de Christo oraculum hoc Davidicum, & vaticinia Esaiæ eidem parallela unice accipienda esse docent Simeon, Luc. 2. v. 34. Christus ipse hoc loco fortiter ex eo adversarios suos constringens, Petrus Act. 4. v. 11. & 1. Epist. 2. v. 7. ac Paulus Rom. 9. v. 33. 4. Ex prædicato. Esse lapidem Ecclesie angularem, nulli alii, nisi Christo competit, qui diversos populos, Judaicum & gentilem fidei unitate invicem confociat, faciens ex utroque unum, ut exponit Apostolus Eph. 2. v. 14. Conferatur autem Christus lapidi, non tam propter terræstræ corpus, ut vult Burgenis, quam 1. propter oracula veteris Test. superius enumerata, 2. propter typos. Jacobus in Mesopotamiam profectus *lapidem capit supponit*, in quo suaviter requiescit, Gen. 28. v. 11. sic in Christum omnem sollicitudinem nostram projicere, Ps. 37. v. 5. 1. Petr. 5. v. 7. & in morte credentes in ipsum suaviter obdormiscere possumus, Jacobus *lapidi eidem infundit oleum*, & promittit fore, ut crescat in Dei templum. Gen. 28. v. 18. & 22. sic structura spiritualis ædificii in cordibus nostris extruendi unice Christo innititur. Gen. 3. v. 44. Jacob erigit *lapidem* in signum fœderis, inter se & Labanem initi: sic in Christo, & per Christum fœdus gratiæ Deus nobiscum inicit. Moses in precibus suis *lapidem* manibus habet suppositum, Ex. 17. v. 12. sic preces nostras fide in Christum niti oportet, si debeant esse Deo gratæ & acceptæ, Joh. 16. v. 23. *Petra lapidea* Moysi baculo percussa largissimas profundit aquas, Num. 20. v. 11. quem typum Paulus ipse ad Christum applicat 1. Cor. 10. v. 4. qui credit in ipsum, & baculo precum hanc petram percudit, is aquam vivificam ex ea eliciet, Joh. 4. v. 13. Cum per Jordanem Israëlitæ in terram promissam introducerentur, Josua divino mandato in medio fluvii alveo *lapides* erigit, Jos. 4. v. 22. Christus est unica via, quæ per Jordanem hujus vitæ ad cœlestem patriam nos deducit, Joh. 14. v. 6. Jos. 24. v. 26. Josua erigit *lapidem* in testimonium, quod Israëlitæ Deo unice adherere velint: sic Christus est *fidelis ille testis*, Apoc. 1. v. 5. qui promittit se credentibus daturum *testimonium bonum*, Apoc. 2. v. 17. Cum à Philistæis arca fœderis reduceretur, Bethsemitæ sacrificia offerebant *in lapide magno*, 1. Sam. 6. v. 14. sic in Christo & per Christum offerenda sunt spiritualia nostra sacrificia, si Deo debent esse gratæ & acceptæ. David cum Goliatho congressurus *quinque limpidissimos lapides de torrente acceptos* in petram pastoralem reponit, & eorū uno hostis fronti infixo eum interficit. 1. Sam. 17. v. 40. & 51. Christus infernalem Goliathem merito passionis suæ, cum de torrente in via biberet, devicit, Psal. 11. v. ult. Hebr. 2. v. 14. 1. Joh. 3. v. 8. *Lapis sine manibus abscessus*, Dan. 2. v. 34. est Christus sine maritali amplexu de intacta virgine natus. *Septem oculi super unum lapidem*, Zach. 3. v. 9. sunt varia Spiritus Sancti Charismata Christo collata, propter perfectionem septenario numero denotata. *Vulnera Christi sunt*

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

G g 3

fora

foramina illius petre, Cant. 2. v. 14. in quibus columba, id est, fidelis anima se abscondere potest. 3. Propter convenientiam. Lapides firmum ædificio suppeditant fundamentum, Matth. 7. v. 24. sic Christus est immotus Ecclesiæ fundamentum, Matt. 7. 24. contra inferorum portas eam sustentans, Matth. 16. 18. 1. Cor. 3. 11. ut nulla hostium vis, nulla tentatio, nulla oppugnatione hunc lapidem deiecere poterit, unde vocatur *lapis probatus*, Esa. 28. 16. ita quoque Ecclesiam super hunc lapidem extructā nulla potentia expugnare poterit. Ad petram patet fugatis refugium, sic Christus est salutis nostræ petra, ad quam verā fide confugere possumus, 2. Sam. 22. v. 2. De hoc lapide duo prædicit David. 1. Quod ædificantes ipsum sint reprobaturi: *Lapis quem reprobaverunt ædificantes*, i.e. reprobabunt. Loquitur enim David more Prophetico de re futura, verbis præteritis, propter prædictionis certitudinem. Per ædificantes quidam in genere intelligunt omnes Judæos, qui fide Christum recipere, & tanquam lapides vivos super Christum se ædificare debebant, 1. Pet. 2. 5. sed per incredulitatem eum rejecerunt, quando clamarunt: *crucifige*. Quamvis enim non omnes ac singuli Christum repudiarent, tamen, cum maxima populi pars eum rejecerit, inde toti cœtui hoc recte tribuitur. Confirmari posset hæc explicatio ex eo, quod Christus toti populo Judaico paulo post rejectionis hujus pœnas comminatur: *Auferetur à vobis regnum Dei*. Sed per ædificantes proprie intelliguntur Sacerdotes & Seniores populi, ut enim per colonos vineæ solos illos Christus voluit intellectos, ut superius demonstraverat, ita eosdem hic intelligit per ædificantes, ipsorum quippe erat, & vineam colere & spirituales domū Dei ædificare. Transit igitur Christus ab una metaphora ad aliam, ac sicut Ecclesiam prius comparaverat vineæ, ita eandem jam comparat ædificio, quos prius vocaverat *colonos*, eos jam vocat *ædificantes*, quem prius filium patris familiaris dixerat, eum lapidi angulari comparat: sicut etiam Apostolus 1. Cor. 3. 9. has duas metaphoras conjungit. *Dei agricultura, Dei ædificatio estis*, quæ locum Hieronymus hic adducit. Id ipsum comprobatur officium Sacerdotum & Seniorum, ad quod divinitus erant vocati. Constituti enim erant super cathedram Moysi & Aaronis, ut Ecclesiam V. T. ædificarent, h.e. populum Israëliticum docerent ac regerent, ædificare enim est docere, Jer. 1. 10. Rom. 15. 20. 1. Cor. 3. 10. Gal. 2. 18. unde Paulus se *architectum* vocat, 1. Cor. 3. 10. Drusus observat *Sapientes sive Scribas*, in studio legis Divinæ occupatos, à Rabinis vocari *בנין* qui circa ædificiū mundi, id est, circa legem, super quam mundum fundatum esse dicunt, toto vitæ tempore sunt occupati. Hanc interpretationem etiam confirmat Petrus, Act. 4. 11. *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus*. Alloquitur autem Principes populi & Seniores Israël, ut patet ex v. 8. Ponitur verò phrasī Hebræa participiū præfens pro nomine verbali officium significante, ut ædificantes sint ædificatores, sive architecti, sicut *παρασκευαστής* tentans est tentator, Matt. 4. 3. ὁ ποιητής est ὁ ποιητής vel ὁ δημιουργός. Confer Pl. 14. v. 2. Prov. 10. 20. Gal. 2. 11. 1. Tim. 5. 21. Porro hi ædificantes verè stolidi dicuntur lapidem non solum ædificio, sed etiam fundamento ædifici aptum reprobasse, hoc est, quasi inutilem & ineptum ædificio, adeoque noxium, qui in structura ædifici

nullo loco dignus esset, rejecisse. Significat enim ἀποδοκιμασθῆναι aliquid repudiare in electione, vel etiam aliquem ab officio tanquam indignum rejicere, Sap. 9. 4. Syr. 20. 20. Symmachus in versione Pl. 3. 5. 4. ac LXX. Interpp. Jer. 6. 30. cap. 7. 28. c. 8. 9. c. 14. 19. c. 31. 36. usurpant pro οὐκ, quod significat cum fastidio quodam & indignatione rem aliquam aut personam tanquam vilem & contemptam rejicere, quo verbo etiam David hoc loco utitur. Syrus habet verbum *נרד* *sprevit, conculcavit, rejecit*. Et quia Christus hoc ipso verbo in prædictione passionis suæ utitur Marc. 8. 31. Luc. 9. 22. c. 17. 25. ex eo colligitur, quod in hoc ipso oraculo Davidico continetur vaticinium de passione & morte Messias, ab ipsis populis Israëliticis primoribus ipsi irroganda, sicut in parabola de colonis vineæ herile filium interficientibus idem continetur. Hi architecti sive Proceres Judaici reprobaverunt Christum calumniis, insidiis, plagis & tormentis; reprobaverunt eum in Prophetis oraculis, ea pervertendo; in typis, eos repudiando; in ministris, eos persequendo; in miraculis, ea calumniando; in Ecclesiæ reformatione, eam impugnando; in Evangelii prædicatione, ei contradicendo; in divinitatis conditione, eam protervè negando; in Gentiliū vocatione, eam blasphemando; in regni administratione, eam pervertendo, &c. sed Christus solidus ille & angularis lapis contra omnes ipsorum insultus mansit firmus, immotus & inconcussus. Quod phrasin spectat, quæ vox *λίθος* in accusativo ponitur, eam quidam sic explicant, ut accusativus absolute positus statuatur, hoc sensu. *Quod ad lapidem attinet*: cujus phraseos simile exemplum habetur, Act. 10. 36. & 38. 1. Joh. 2. 24. & 27. Sed simplicius respondetur, esse in ea usitatū Hebraismum, quem LXX. Interpp. frequenter imitantur, Gen. 3. 16. Num. 32. 4. Jos. 1. 3. 1. Reg. 6. 31. 2. Reg. 1. 4. Apud Latinos hæc loquendi formula minus usitata est, unde quidam hic statuunt *aniprosin*: quidam mutant verborum collationem hoc modo: *Quem lapidem reprobaverunt ædificantes*. Sed non opus est eò descendere, cum apud probatos scriptores similia occurrant exempla. *Eunuchum, quem dedisti mihi, quas turbas dedit*, legitur apud Terent. *Urbe, quam si atuo, vestra est*, dixit Virgilius.

Admonentur autem hoc loco ministri Ecclesiæ sui officii. Sunt spirituales architecti. Ergo ædificiū Dei non destruant, sed promoveant, 2. Cor. 13. 10. Non sint similes illis, qui *infruant parietem calce non rectè mixtā*, Ezech. 13. 10. quod faciunt, qui scelera auditorū non reprehendunt, quiq; religionis errores vel dissimulant, vel falsā interpretatione palliant. Sunt architecti: Ergo non sunt Domini domus. Architectura enim (uti etiam cultura vineæ) non est dominium, sed ministerium, quia architecti sunt ministri, per quos alius domum ædificat. Sint *Sapientes architecti*, 1. Cor. 3. 10. non rejiciant lapidem fundamentale, ne ædificent super arenam, Matt. 7. 26. nec super fundamentum ædificent *strum & stipulam*, sed *aurum, argentum & lapides preciosos*, 1. Cor. 3. 12. noverint potestatem sibi datam ad ædificationem non ad destructionem, 2. Cor. 13. 10. proinde opus ministerii sui dirigant ad ædificationem corporis Christi, Eph. 4. v. 12. ut in Christo *omnis ædificatio convalescat in templum sanctum in Domino*, Eph. 2. v. 12. *Autor operis imperf. homin. 40.* addit ejusmodi

comparationem. Sicut edificatores, nodos lapides & habentes tortuositates ferro dolant, postea vero ponunt eos in edificio, alioquin non dolant lapides lapidibus non cohererent: sic Ecclesia doctores vicia hominum, quasi nodos, acutis increpationibus primum circumcidere debent, & sic in Ecclesia edificatione collocare. Videmus etiam novum non esse, quod illi, qui ratione vocationis & officii debebant esse Ecclesiae edificatores, fiant illius destructores, adversus Christum ejusque regnum insurgendo, lapidem fundamentum hujus spiritualis aedificii divinitus destinatum repudiando, fieri proinde posse, ac saepius ipso facto contingere, ut gravissimè errant, qui ad clavum Ecclesiae sedent, ut apparet in exemplo Procerum Judaicorum, qui ipsum Ecclesiae lapidem Christum sc. reprobarunt & crucifixerunt; adeoque in sanguinibus Zion aedificaverunt Mich. 3. v. 10. & qua hac ratione sine fundamento aedificaverunt, ideo aedificium ipsorum, Synagogam scilicet, corruiere oportuit.

2. Quod lapis ab aedificantibus reprobatus factus sit caput anguli, ἐγένθη εἰς κεφαλὴν γωνίας. Vulgata & Erasmi reddiderunt, in caput anguli, quod loquendi genus respondet Hebraismo usitato, Genes. 2. v. 7. Factus est homo in animam viventem, hoc est, anima vivens. v. 2. 2. aedificavit Deus coelam in mulierem, id est, ut esset mulier. v. 2. 4. erunt duo in carne una, i. e. una caro, ut exponit Christus Matth. 19. v. 5. Ita quoque hoc loco lapis reprobatus est in caput anguli, i. e. cepit esse caput anguli, verbum enim γινέσθαι hic est idem quod γίνεσθαι. Paulus κεφαλὴν γωνίας Ephes. 2, 20. uno verbo expressit, quando lapidem hunc vocavit ἀποργωνισθόν, dicitur enim caput anguli lapis, qui praecipuus est in angulo, ac totius aedificii structuram & juncturam sustinet. Syrus apud Lucam reddidit, factus est in caput cornu anguli, id est, praecipuum cornu anguli, tanquam summus & praecipuus, qui eminet inter angulares lapides, ut cornu in capite animalis; vel etiam per hypallagen, factus est in caput cornu anguli, id est, in caput cornuti anguli, in quo totius domus structura recumbit. Pulcherrima autem haec est allegoria, Christi mortem, resurrectionem & exaltationem emphaticè exprimens. Quemadmodum enim stolidi coementarii aedificium extruentes interdum lapidem quendam ut inutilem & nulli loco aedificii satis idoneum abijciunt, qui tamen à perito architecto in alio aedificio efficitur lapis praecipuus, imò fundamentalis & angularis, qui duos parietes inter se jungat: sic Christus est solidus & preciosus ille lapis, quem Pater coelestis in Sion possuit Esa. 28. v. 16. is à Proceribus Judaicis, quorum officium erat, domum Dei ex vivis lapidibus extruere, reprobatus & rejectus est tanquam aedificio inutilis, quando ipsius doctrinam repudiarunt, miracula ejus Satanæ adscripserunt, pro Messia ipsi recipere noluerunt & Praesidi Romano ad sententiam mortis adversus eum executioni dandam ipsum tradiderunt. Idem tamen in Dei aedificio, id est, in Ecclesia factus est lapis angularis sive caput anguli. 1. quia est fundamentalis & firmissimus totius aedificii lapis, totum illud in se continens & conservans, sicut exponitur Esa. 28. 16. Ephes. 2, 21. est primus & optimus lapis, 1. Pet. 2, 4. à Deo electus & honoratus, siquidem caput opponitur reprobationi, sicut honor injuria. Et quia ὄνη metaphoricè Hebraeis significat etiam Ducem, Imperatorem, innuitur, Messiam fore Ecclesiae

suae Regem, ut sit α & ω fundamentum & caput, sive summum in hoc spirituali aedificio. 2. quia duos populos, Judaicum scilicet & gentilem inter se connectit & in unam Ecclesiam consociat. Hanc appellationis rationem Calvinus improbat, ac vocat Augustini argutiam, sed disertis verbis traditur ab Apostolo Eph. 2. v. 14. Christus est pax nostra, qui fecit utraq; unum, & medium parietem maceriae solvit & usque ad finem capitis, unde non solum ab Augustino, sed etiam ab Origene, Hilario, Hieronymo, Theophylacto & omnibus veteribus affertur. Id. Pelus. lib. 2. Epist. 497. Quemadmodum angularis quidam lapis duorum parietum vinculum esse invenitur, ad arctissimam ac firmissimam conjunctionem eos inter se devinciens: eodem modo Domini nostri incarnatio duobus orbis populis inter se copulatis, atque in unum corpus atque unum Spiritum compactis, in caput anguli effecta est, firmam ac minime nutantem conjunctionem interpositu suo custodiens. 3. quia multis est lapis offensionis, solent enim angulares lapides extra aedificium prominere, itaque qui minus provide ambulans, ad eos facile offendunt: sic Judaei in Christum impegerunt & corruerunt. Haec tres rationes conjungit Esaias cap. 8, 12. & cap. 28, 16. ubi Christum vocat 1. lapidem fundamenti. 2. lapidem anguli. 3. lapidem offensionis; & ad haec rationes simul videtur Christus in allegatione Davidici oraculi respexisse. Cumque haec rationes conjunctim sumtae nemini nisi soli Christo competant, inde manifestum est, ipsum solum, non autem Papam Romanum esse lapidem Ecclesiae angularem & fundamentalem; ac tantum abest, ut Papa sit Ecclesiae fundamentum, vel primum, vel secundarium, ut potius sit inter stolidos illos architectos, qui lapidem hunc ab aedificio reprobant & rejiciunt. Quidam disputant, Christum non posse simul esse lapidem fundamenti & lapidem anguli, cum alius sit lapis, qui primus ponitur, & tanquam caput & initium totius aedificii in fundamento statuitur: alius vero, qui in supremo & cellisimo totius aedificii anguli primus tanquam caput collocatus eminet. Existimant igitur Christum posteriore respectu factum dici in caput anguli, quod probant ex voce ἀποργωνισθόν, quae significat lapidem summum in cellisimo loco positum. Itemque ex eo, quod caput anguli sit suprema pars anguli, non infima & fundamentalis. Sed quia Esaias Christum & lapidem fundamenti & lapidem anguli vocat, ideo uterque respectus hic concurrat. Si architecti possent lapidem tantae magnitudinis habere, qui & fundamentum completeret, & in angulo positus utrumque murum connecteret, uno illo lapide contenti essent, sed quia unus lapis ad utrumque munus non sufficit, ideo plures coagmentant, quae ratio cum in Christo locum non habeat, & fundamenti & anguli lapis simul esse potest. Ut autem in priore membro per reprobationem hujus lapidis Messiae passio & mors insinuatur: ita in hoc posteriore membro per constitutionem hujus lapidis in caput anguli ejusdem resurrectionis, ascensionis, & exaltationis describitur. Quod si enim hic lapis caput anguli sive angularis fieri debet, qui Judaicum & gentilem populum in unam Ecclesiam jungat, utique non poterit Messias manere in morte, sed redivivus ad dextram DEI exaltatus Ecclesiam sibi ex genere humano colligit, sicut in eodem Psalmo dicitur versic. 15.

Harum. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prima.

Gg 4

Dextra

Dextra Domini fecit virtutem v. 16. *dextra Domini exaltata est, dextra Domini fecit potentiam* v. 17. non moriar, sed vivam & recensebo opera Domini. Præbet autem hæc metaphora appellatio, quâ Christus vocatur lapis angularis, pulcherrimam doctrinam. Ecclesia est spirituale ædificium 1. Corinth. 3. v. 9. *domus Dei viventis*, 1. Tim. 3. v. 15. Heb. 3. v. 6. *Fundamentum*, super quod hæc domus extruitur, est Christus 1. Corinth. 3. v. 11. qui est fidei ac justitiæ nostræ basis firmissima Esa. 28. v. 16. 1. Petr. 2. v. 6. cui tutò inniti possumus, unde veri Ecclesiæ cives dicuntur extructi super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, id est, super Christum à Prophetis & Apostolis prædicatum Eph. 2. v. 20. & quia omnes Prophetæ de Christo testimonium perhibent Act. 10. v. 43. atque omnium Apostolorum primarium munus est de Christo Ecclesiæ fundamento reficari Joh. 15. v. 27. Act. 1. v. 8. cap. 10. v. 41. ideo murus cælestis Hierosolymæ, id est, Ecclesiæ, dicitur habere fundamenta duodecim, & in illis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni, Apoc. 21. v. 14. Et quia Ecclesia Nov. Test. ex Judæis & gentibus collecta fidei unitate in Christo conjungitur, ideo Christus hujus spiritualis ædificii lapis angularis vocatur, in quo omnis ædificatio coagmentata crescit in templum sanctum in Domino Ephes. 2. v. 20. Architecti hujus domus ac Dei in hoc ædificio extruendo σύνεργοι sunt omnes fideles Ecclesiæ doctores 1. Corinth. 3. v. 9. & 10. qui exemplo eorum, per quos structura Hierosolymæ perficiebatur, manu unâ debent ædificare, alterâ verò contra Ecclesiæ hostes pugnare Nehem. 4. v. 17. Lapidēs, ex quibus hæc domus Dei extruitur, sunt omnes verè credentes, qui per ministerium docentium ad Deum convertuntur, & verâ fide super Christum fundamentalem & angularem Ecclesiæ lapidem extruuntur. 1. Pet. 2. v. 4. *Accessistis ad lapidem vivum* (ad Christum, qui est ipsa vita, formaliter & effectivè, qui ex mortuis resuscitatus vivit in æternum, & dat vitam æternam fide ad ipsum accedentibus & super ipsum extructis) ab hominibus quidem (à stolidis architectis, à Proceribus videlicet Judaicis) reprobatur, à Deo autem electum & honorificatum (in caput anguli divinitus constitutum) v. 5. & ipsi tanquam lapides vivi (per fidem spiritualis vitæ in Christo participes facti & à Spiritu Sancto efficaciter moti, quia hæc ædificatio spiritualis est viva) super ædificamini (permittite ut super ædificemini operâ ministrorum verbi) domus spiritualis in Sacerdotium sanctum. Quisquis enim cupit esse verum Ecclesiæ membrum, illum oportet cum hoc lapide fundamentali & angulari, cum Christo scilicet, coagmentari & copulari, quod fit per veram fidem Eph. 2. v. 29. Quemadmodum verò lapides prius oportet præparari ac dolari, antequam sint ædificio apti, ita per doctrinam legis, per reprehensiones ministrorum, per ferramentum crucis, &c. credentes in hac vita dolari prius oportet, antequam spirituali huic ædificio adhiberi possint. Osee. 6. v. 5. *Dolavi eos in Prophetis* vel per Prophetas. Atque hoc discrimen est inter cives Ecclesiæ militantis & triumphantis, illos enim in hac vita prius dolari oportet, hi verò legalibus reprehensionibus & castigatione crucis non amplius indigebunt, cujus rei typus in extruptione templi Salomonis præcessit, de qua 1. Reg. 6. v. 7. dicitur. *Domus autem cum ædificaretur, à lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est,*

Et malleus & securis & omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur.

Atque hæc de priore Davidici oraculi parte sunt dicta, videlicet de conditione & sorte, quam Messias in hoc mundo sit experturus, quod ab Architectis reprobandum sit, postea autem glorificandus & in caput anguli constituendus. In posteriore parte David principium & eventum hujus fortis exponit. Principium sive originem hujus fortis declarat his verbis: *A Domino factum est illud.* Relativum in textu Hebræo & Græco ponitur in genere fœminino וְהָיָה הַיְשׁוּעָה אֵינֶנּוּ, quo modo etiam reddidit Syrus וְהָיָה הַיְשׁוּעָה אֵינֶנּוּ ac uterque Evangelista ita allegat, inde variæ oriuntur interpretationes. 1. Quidam referunt ad lapidem, quia אֵבֶן apud Hebræos est generis fœminini. Sensus igitur foret iste. *Hic lapis à Domino factus est*, id est, divinitus in Ecclesia erectus & constitutus, quam explicationem Druisius non improbat. Sed hoc non potest locum habere in textu Græco, in quo λίθος masculinum non congruit cu relativo fœminino οὗτος. 2. Origenes tract. 19. in Matt. videtur referre ad κέφαλον, *Uterque lapis*, inquit, *donum est donatum à Deo ædificio universo, & admirabile caput in oculis mentis.* Quamvis verò apud Græcos hoc possit habere locum, apud quos κεφαλή est fœminini generis, tamen textu Hebræo illud non congruit, cum אֵבֶן non sit fœmininum. 3. Euseb. lib. 10. demonstrat. & Theophylactus referunt ad γωνίαν, quod Hebræo etiam textui congruit, quia פֶּנֶן est generis fœminini. Sensus ergo foret: *A Domino factus est ipse angulus*, id est, angularis lapis. 4. Quidam subintelligunt aliquod substantivum. *A Domino ἐγένετο οὗτος* scilicet οὗτος οὗτος ἀδικοῦ ἀδικοῦ, quâ lapis ab architectis reprobatus in caput anguli est constitutus. 5. Simplicissima explicatio petitur ex idiotismo Hebræo. Cum enim Hebræi careant neutro genere, ideo ejus loco utuntur fœminino, quam enallagen etiam Græci quandoque usurpant. Ps. 27. 4. *Unam petri à Domino*. LXX. μίαν πέτραν σαμηνήν, hoc est, rem unam, sive unum. Ps. 41. 12. *In hac cognovi* id est, in hoc Ps. 119. 56. *hec facta est mihi αὐτῆς ἐγενήθη μοι*, id est, hoc factum est mihi. Eodem modo hic vertit Aquila: *A Domino ἐγένετο τὸ πῆμα, αὐτῆς περὶ ἀδελφόν*, uti etiam vulgatus Interpres, *A Domino factum est illud*, ac Tremellius Syriacum. textum eodem modo reddidit. Pronomen ergo οὗτος nec ad lapidem, nec ad caput, nec ad angulum propriè refertur, sed ad totum complexum præcedentis membri. *A Domino factus est* scilicet res ea, vel factum est illud, ut lapis architectis reprobatus fieret in caput anguli. Hanc interpretationem confirmat Petrus 1. Epist. 2. 4. quando hunc lapidem dicit ab hominibus quidem reprobatur, à Deo autem electum & honorificatum, nimirum quia à Deo factus est in caput anguli. Musculus Calvinianus ad utrumque membrum hoc refert, ut sit sensus, à Domino hoc factum esse, tum ut hic lapis ab ædificantibus reprobaretur, tum ut in caput anguli constitueretur. Quamvis verò ratione permissionis & determinationis ad salutarem finem providentia divina ad hanc ipsam lapidis reprobationem, id est, Messias passionem concurrerit Act. 2. v. 23. c. 4. v. 8. nequaquam tamen statuendum, quod vel infallibili quodam decreto, vel occulto Dei impulsu Hierosolymitani Proceres ad reprobationem Messias fuerint pertracti, sed accuratè distinguendum est inter ipsum factum reprobationis & crucifixionis Christi, & inter

& inter ejusdem saluberrimum finem. Factum ipsum fuit impium & iniquum, unde per manus iniquorum Christus dicitur crucifixus Actor. 2. v. 23. ac Satanæ auctori tribuitur, quod in cor. Judæ miserit, ut Christum proderet Joh. 13. v. 2. ideo ad illud Deus nec impulit Judæos, nec illud approbavit, sed feruissimè vindicavit. Quia verò Deo futurorum præcio mala voluntas Procerum Judaicorum ab æterno fuit cognita, ideo quod illi erant facturi pessimè, illud ad redemptionem generis humani ipse convertit optimè & sapientissimè, qua de re Leo serm. 16. de pass. Dom. sic disserit. *Multum diversum multumq; contrarium est id, quod in malignitate Judæorum est præcognitum, & quod de passione Christi est dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde voluntas moriendi, nec de uno exitu spiritu atrocitas celeris & tolerantia Redemptoris. Non enim impiis furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit, nec præsciendo, quod futurum est, coëgit, ut faceret; cum tamen ad hoc ipsum carnem suscepisset, ut fieret.* Hanc distinctionem monstrat ipse David, quando reprobationem lapidis non Deo sed stolidis ædificantibus, adeoque Diabolo homicidæ Joh. 8. v. 44. cujus organa hac in parte fuerunt, tribuit, constitutionem autem lapidis in caput anguli Deo auctori assignat, unde August. in Psal. illum sic commentatur. *ADominus factus est Christus caput anguli. Quamvis enim hoc non esset factus, nisi passus esset, non tamen hoc ab iis, à quibus passus est. Nam illi, qui ædificabant, reprobabant, sed in eo, quod Dominus occultè ædificabat, fecit in caput anguli quod illi reprobaverunt.* Eandem distinctionem monstrat ipse Christus in hac parabola. Quod enim coloni vineæ filium patrisfamilias interfecerunt, atque architecti fundamentalem Ecclesiæ lapidem reprobaverunt, tantum abest, ut hoc patrifamilias sit tribuendum, ut potius propterea colonos & architectos gravissimè puniturus & regnum suum ab ipsis ablaturus dicatur. Relativum igitur illud ad constitutionem lapidis in caput anguli nos remittit, ut sit sensus, non fortuito, nec humano consilio factum, quod hic lapis ab ædificantibus rejectus factus est caput anguli, sed à Domino hoc factum est, architectis frustra repugnantibus & contra nitentibus. Is enim Christum à Proceribus Judaicis reprobatum & interfectum gloriosè ex mortuis resuscitavit, ad dextram suam in cælestibus collavit & per prædicationem Apostolorum, novorum colonorum & architectorum, Ecclesiam ex Judæis & gentibus collegit, cujus angularem & fundamentalem lapidem Christum constituit. Ipsius providentiæ & mirabili consilio factum, ut Judæis quibusdam velut ramis propter incredulitatem fractis, gentiles, cum per Naturam oleasiri essent, illis inferrentur & socii radicis & pinguedinis olive fierent Rom. 11. v. 17. Prædictum autem hoc ad averendum vel certè minuendum scandalum, ex reprobatione illa Christi à Proceribus Hierosolymitanis futurà oriturum. Magnum omnino erat scandalum, caput à membris, Dominum à servis, filium patrisfamilias ac Dominum vineæ a colonis, Regem à subditis, Messiam à proprio suo populo, lapidem fundamentalem ab architectis reprobari, sed huic scandalo Spiritus S. obviam ire voluit, tum revocando nos ad vaticiniū Davidicum, tum remittendo ad considerationem divinæ providentiæ, quod non fortuito nec humano consilio lapis ab archi-

tectis reprobatus in caput anguli fuerit factus. Apparet igitur ex hoc loco, Deum mirabili providentiâ hostium consilio intervertere & ad bonum convertere posse. Es. 8. 10. Architecti Christum reprobant, sed Deus fundamentalem & angularem Ecclesiæ lapidem eum constituit. Quod in capite factum, idem etiam in membris fieri videmus, quod lapidi fundamentali obtigit, idem etiam visis lapidibus super eum ædificatis obtingit. *Vos cogit astis de me malum, Deus autem convertit illud in bonum,* ait Josephus ad fratres suos Gen. 50. 20. In gubernatione & conservatione Ecclesiæ quotidiana hujus divinæ providentiæ occurrunt exempla, quæ testantur, Ecclesiam non expugnari persecutionibus, sed instar cædæ sylvæ, quæ amputata feliciter crescit, per easdem potius propagari. Et quia corā humanâ ratione hæc dispositio divinæ providentiæ non est obvia, ideo subjungit David descriptionem eventus. *Hoc est mirabile in oculis nostris. Aquila reddidit: autem rapedo Lev & Phary quoniam, esse enim mirabile per usitatum Hebraismum hic significat videri mirabile.* Syrus reddidit: *Est ארורת ספור & admiratio in oculis nostris, intuitus hujus rei stupidos ac attonitos nos reddit.* Quidam statuunt, *Davidem loqui in persona incredulorum Judæorum, quibus doctrina Evangelii de Christo resuscitato & exaltato, deque gentilibus ad Ecclesiæ consortium vocandis fuerit mirabilis & fide indigna.* Sed rectius statuitur, ipsum loqui in persona fidelium, qui futuri erant tempore Christi & Apostolorum, quibus non tantum mirabile fuit Evangelii nuntium de Christo resuscitato & exaltato, sed etiam latissimum, & gratissimum, sicut statim sequitur apud Psaltem. v. 14. *Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & letemur in ea.* De tali igitur admiratione loquitur, quæ conjuncta est cum fide & exultatione, qualis est piorum & electorum, non autem de ejusmodi admiratione, quæ conjuncta est cum incredulitate & indignatione, qualis solet esse impiorum & reprobatorum. Nobis quoq; fidei & Spiritus unitatè cum piis, qui tempore Christi & Apostolorum in terris docentium vixerunt, conjunctis, mirabile videri debet, quod Deus proprio suo Filio non pepererit, sed in mortem propter nos eum tradiderit; quod in sublimem illam gloriam per resurrectionem, ascensionem & sessionem ad dextram Dei ipsum evexerit, quod per ministeriū Apostolorum, frustra reluctantis tot hominibus, Ecclesiam sibi hæcenus collegerit, quod ad consortium ejus non solum Judæos, sed etiam gentiles vocaverit, quod gratia Dei à Judæorum maximâ parte repudiata gentibus fuerit data & quidem largius quam ipsis Judæis, (quod mysterium non nisi per visionem divinitus oblatam Petro persuaderi potuit Act. 10. 14.) quod Christum fundamentalem & angularem Ecclesiæ lapidem Deus constituerit, Ecclesiæ huic lapidi innixa & superædificata adversus ipsas inferorum portas immota hæcenus perstiterit, hæc & similia ad mysterium redemptionis nostræ & vocationis ac gubernationis Ecclesiæ pertinentia superant omnem humanæ rationis captum Rom. 16. 25. Ephes. 3. 9. de quibus merito usurpatur illud Hugo. de Sac. part. 8. c. 22. *Quid mirum, si mirabilis mirabilia operaretur? Cogit a dicentem, pondera facientem, & desinet esse mirabile, quicquid illud fuerit; & si forte admirabile non esse desierit, tamen incredibile non erit,* ait idem cap. 11.

Tertiò ex hoc oraculo Davidico Christus duo porismata deducit, quorum prius est speciale, continens gravissimam comminationem de auferendo à Judæis regno Dei; posterius est generale, describens conditionem eorum omnium, qui vel ipsi super hunc lapidem ceciderint, vel super quos ille ceciderit, sive fuerint Judæi sive gentiles. Comminatoriam prædictionem Christus, 1. præcedentibus subjungit per particulam illativam. *2. igitur propterea.* Quia vos coloni herilem filium interficere cogitatis, & lapidem fundamentalem Ecclesiæ nefario ausu rejicitis, inde atque ideo iustissimo Dei iudicio vobis eveniet, quod vobis jam prædico. Continent igitur hæc verba conclusionem parabolæ, quam Christus ex præcedentibus infert. Ipsimet Proceres Judaici majorem propositionem suppeditaverant, videl. quod mali coloni vineæ Dominicæ propter eadem herilis filii malè sunt perituri, quodque illis è medio remotis vinea elocanda sit aliis justo tempore fructus debitos reddentibus. Minorem propositionem, videl. quod ipsimet sint mali ejusmodi coloni, præfractè negaverant, dicentes *absit*; sed Christi eandem luculentè confirmaverat ex oraculo Davidico hoc modo. Qui fundamentalem Ecclesiæ lapidem stolidorū architectorum instar rejiciunt, illi etiam sunt mali vineæ Dominicæ coloni, in necè herilis filii intenti. Vos Sacerdotes, Scribæ & Seniores lapidè Ecclesiæ fundamentalem reprobatis. Ergo etiam estis mali vineæ Dominicæ coloni. Unde jam sponte sequitur conclusio principalis Syllogismi: Ergo estis malè perituri, ac auferetur à vobis vinea, & dabitur genti facienti fructum ejus. 2. Utitur *asseveratione.* Ego dico sive prædico, qui sum ipsa veritas Joh. 14, 6. qui sum filius cœlestis patris familias, cujus vitæ insidias struitis, & lapis fundamenti, quem reprobatis. Ego hoc dico, cujus veritatè in prædictionib⁹ aliquoties jamdū experti estis, proinde hanc meam prædictionè imotæ veritatis esse certò vobis persuadete. 3. Exprimit *objectū.* Ego dico vobis. Series parabolæ videtur exigere, ut solis principib⁹ Sacerdotum & populū hoc à Christo dictum intelligatur, illos enim comparaverat *colonis*, vineæ fructū patrifamilias denegantib⁹, & *architectis*, lapidem fundamentalem reprobantib⁹, illi etiam intulerant de malo malorū colonorum exitio, ex qua hypothesi concessa Christus hanc conclusionem infert. Sed ex subjectâ antithesi, quod vinea danda sit alii genti, colligitur, Christum non amplius solos Proceres, sed promiscuum cœtum auditorum hic alloqui, ac cum Principibus populū simul esse intelligendum. Ideo autem in hac comminatoria prædictione plebem cum procerib⁹ conjungit. Primò quia popul⁹ non minus erat negligens in reddendis Deo fructibus quàm ipsi Proceres. Jam olim enim Esaias conquestus erat, quod loco *ugarum*, id est, bonorū fructuum proferat *labruscas* vitiorum. Esa. 5, 2. Sicut Sacerdotes superbiebant ob dignitatem officii: ita populus ob dignitatem majorū, ex quibus erant oriundi. Secundò, quia quamvis malum à Principibus oriretur, qui suo deerant officio, tamen hoc ipsum peccatis suis promerituse-rat populus, ut tales rectores & doctores haberet, ac malum à capite ortū totum populi Judaici corpus ferè pervaserat. Tertiò quia populus majori ex parte Proceribus in Christo reprobando & ad necem tradendo consentiebat, ut ex Historia pas-

sionis constat. Quartò, quia poena contenti Messias non tantum in Proceres, sed etiam in universum populū Judaicum erat redundatura, subjungit ipsa prædictionem, cujus membra sunt tria. Primò dicit, *auferendum esse à Judæis regnum Dei.* Per regnum Dei. 1. Origenes & Hieronymus accipiunt *Scripturam sacram.* Cum enim Judæi adhuc essent populus Dei, *concredita ipsis erant τὰ λόγια & Θεοῦ* Rom. 3. v. 2. ipso erant *ei dabitur.* Rom. 9. v. 4. sed postquam ob contentum Messias desierunt esse populus Dei, etiam præclara illa filiorum Dei possessio & hereditas, Scriptura scilicet. sacra ipsis est ablata, Testamenta enim non nisi ad heredes pertinent. Basil. in cap. 16. Esa. *Auferetur à vobis regnum Dei; idem est, ac si diceret, divina eloquia à vobis auferentur, lex nimirum & Prophecia, quia vitam vestram minimè instituisistis ad eorum scripta & consilium.* Huic expositioni conforme est, quod Toftatus per regnū Dei intelligit *veram Scripturarum intelligentiam*, quia Scripturæ non in legendo, sed intelligendo consistunt. Quod autem vera Scripturæ intelligentia Judæis sit ablata, disertis verbis testatur Apostolus 2. Corinth. 3. v. 15. *Usque in hodiernum diem, cum legitur Moses, velamen positum est super cor Judæorum.* Item quod alii per regnum Dei intelligunt *veram Dei notitiam*, quæ ex verbo hauritur, & *vivificam consolationem*, quæ in verbo proponitur. 2. Euthymius per regnum Dei intelligit *ejus custodiam*, quæ servabantur Judæi. 3. Quidam intelligunt *ipsum Christum & fidem in eum*, quo sensu accipiunt verba Johannis Baptistæ: *Agite penitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum*, id est, Messias præstò est Matth. 3. v. 2. & verba Christi Luc. 17. v. 21. *Eccè regnum Dei intra vos est*, id est, Messias in medio vestrum stetit. Joh. 1, 26. 4. Theophylactus intelligit peculiarem illam prærogativam, quod Judæi erant peculiaris Dei populus. *Ablatum est, inquit, regnum Dei à Judæis, id est, peculiaritas, quæ Dei proprii erant.* Hæc interpretatio deducitur ex ipsa parabola. Ut enim in præcedentibus Ecclesiam comparaverat *vineæ & edificio*, ita eandem vocat *regnum*, propter diversa collationis membra. Ut in parabola dixerat, patrem familias locaturum vineam suam aliis agricolis, qui reddant ei fructus temporibus suis: ita in hac accommodatione & conclusione parabolæ dicit, regnum Dei à Judæis ablatum datum iri genti facienti fructus ejus. Utique ergo regnū Dei est vinea Dei, id est, Ecclesia, quæ usitatissimè in Scripturis *regnū Dei & regnum cœlorum* vocatur. 5. Augustinus accipit de *regno gloriae* sive *vita æterna*. l. 2. contra ad versar. legis & Prophetar. cap. 4. *Quod regnum dicit, nisi quod sperabant, non quod acceperant, id est, vitæ æternæ? unde alibi dicit, scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere, ipsa testimonium perhibent de me. Et alibi, Vt vobis Legi speritis, qui tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis.* Sed hæc interpretationes non sunt contrariæ, verum subordinatæ. Quamvis enim primariò & principaliter Christus per regnum Dei intelligat *regnum gratiæ*, tamen simul complectitur omnia beneficia, quæ ad regnum gratiæ pertinent, videlicet *verbum Dei*, per quod homines in regnum gratiæ colliguntur, *Christum*, qui est *ἀρχηγός* hujus regni, *fidem in Christum*, per quam huic regno inferimur, & *vitam æternam*, quæ est regni hujus consequens, unde Ludolphus Carthus. haud absurdè dicit.

Regnum

Regnum Dei est Christus, Scripturarum intelligentia, fides, Ecclesia & vita aeterna, quæ omnia à Judæis sunt ablata. Quamvis enim Deus non in universum repulerit populum Judaicum Rom. 11. v. 2. sed reliquias quasdam ejus servaverit, cum multi ex Judæis ad Christum fuerint conversi & salvati, hæc tamen regnum Dei ab illis dicitur ablatum, quia non amplius sunt Dei populus peculiaris, & acceptus, sicut in Vet. Test. s. d. reliquias, quæ servatæ sunt, in alium populum transferunt. Act. 13. v. 46. *Quia repellitis verbum Dei, & indignos vos judicatis vitæ aeternæ, ecce convertimur ad gentes.* Gravissima omnino est hæc pœna, quam Christus Judaico populo prædicit. Potuisset temporales illas calamitates, quæ ipsis erant obventuræ, exaggerare, videlicet quod bello, fame, peste sint visitandi, quod in captivitatem & servitutem abducendi, quod regio ipsorum devastanda, &c. sed prætermittis illis omnibus Christus hoc duntaxat inculcat, quod regnum Dei ab ipsis sit auferendum, hoc enim reliquiarum pœnarum erat fastigiū. Majores ipsorum itidem publicas illas calamitates quandoque experti erant, quin & in Babylonicam captivitatem fuerant abducti, nondum tamē Dei populus; at postquam Messiam repudiaverunt & occiderunt, ablatum ab ipsis fuit Dei regnum, ex populo Dei facti sunt regnum Diaboli & *Synagoga Satanae*, ut vocantur Apoc. 3. v. 9. tertium enim hic non datur, qui non est populus Dei, est populus Satanae, quin non pertinet ad regnum Christi, is pertinet ad regnum Diaboli, quæ est extrema hominis & populi alicujus miseria. Ut enim regnum Dei complectitur omnia bona, videl. gratiam Dei, gubernationem, defensionem, peccatorum remissionem, Spiritus S. donationem, & vitam aeternam: ita regnum Diaboli complectitur omnia mala, videl. Dei iram, maledictionem & infernum. Proinde nihil durius, nihil tristius contra ipsos proferri à Christo poterat, quam quod regnum Dei sit ab ipsis auferendum, quæ ablatio *στέγησι πάντων καλών καὶ δόξῃ πάντων καλών* secum trahit. Potuisset Christus dicere, *auferetur à vobis vinea Dei*, removendi estis ab ædificio Dei, seu mutato sermone, Ecclesiam, quæ prius vineæ & ædificio comparaverat, vocat *regnum Dei*, ut & Ecclesie dignitatem, quam hæc tunc obtinuerat, & pœna securitæ severitatem ipsis magis ob oculos poneret. Videmus igitur. 1. Regnum Dei in hac vita non esse certæ alicui genti alligatum, sed ob ingratitude eorum, qui per verbum Evangelii ad consortium hujus regni vocantur, illud vicissim ab eis auferri. 2. Per prædicationem Evangelii offerri hominibus regnum Dei, id est, regni gratiæ & gloriæ, quando enim Evangelium prædicatur, tunc Spiritus S. per illud in cordibus hominum est efficax, accendit in eis fidem & novos spirituales motus, ut patiantur se regi Spiritu Dei, & Christo debitū obsequium præstare. 13. Monemur tacite, ne imitemur exemplum Judæorum Rom. 11. 22. ne à nobis quoque regnum Dei auferatur. Secundò prædicit Christus regnum Dei à Judæis ablatum datum iri genti *ἔθνεσιν*, i. e. gentilibus: ita enim vocabulum *ἔθνη* in Scripturis sæpius usurpatur, atque eo modo hic intelligendum esse docet antithesis. Conjungit ergo cum reprobatione Judæorum vocationem gentium, quia delictum & diminutio illorum fuit divitiarum gentium Rom. 11. v. 11. 12. h. e. occasio quædam, quod Deus regnum suum, i. e. gratiam suam & bona cœlestia, quæ in populo Israëlito

velut inclusa erant, toti mundo per Evangelium obtulerit Matth. 22. v. 8. Act. 13. v. 46. & quia Christus absolutè dicit, *dabitur genti*, significat, Ecclesiam non amplius angustis certi alicujus populi limitibus fore inclusam, sicut in V. T. sed terminos ejus in universum orbem extendendos ac datum iri regnum Dei, non uni sed multis populis, ac successivè omnibus nationibus. Sentas igitur est. Nolite existimare propter promissiones Patribus factas Deum vobis ita obstrictum esse, ut non possit ob pertinacem Messiam contemptum vos repudiare, & regnum suum ad alios transferre; nec persuadete vobis, Deo defore regnum & populum, si ob contumaciam vos repudiet, sunt aliæ gentes multitudine & numero vobis longè majores, ad illas per prædicationem Evangelii transferret regnum suum, illas in populū sibi assumet &c. In parabola dixerat, *locabit Deus vineam suam aliis agricolis*: sed hic sermonem ad populum simul extendit, *dabit regnum suum alii genti*, ut pœnæ gravitatem magis exaggeret. Origenes mysterium in eo quærit, quod in parabola dicitur vineam fuisse elocatum agricolis, hic verò regnum Dei non dicatur locari, sed dari gentibus, eo enim significari putat, quasi prius Judæis propter merita promissæ mercede locata sit Dominica vinea, postea verò gentibus gratis data. *Quod datur, inquit, intelligitur, quod gratis datur, quod locatur autem & traditur, non omnino gratis datur.* Sed ut vocatio gentium fuit opus indebitæ gratiæ divinæ Rom. 11. v. 22. cap. 15. v. 9. ita quoque Judæorum selectio in populum Dei itidem fuit opus meræ & indebitæ gratiæ, Deut. 7. v. 7. Nec Judæi nec gentiles suis operibus pro meriti fuerunt vel etiam pro mereri potuerunt, ut illis vinea locaretur ac regnum Dei daretur, nec minus gentilibus quam Judæis merces ex gratia est promissæ, si vineam recte colerent, & regno Dei sese conformes gererent. Ut autè rei significatæ non congruit hæc Origenis observatio, ita nec vocabulis rerum signis: de vineæ enim elocatione utitur Christus verbo *ἐξέδοτο*, de regni datione verbo *δοθήσεται*, quæ ab eodem themate descendunt & compositione duntaxat invicem differunt. 3. Esdr. 8. v. 3. de promulgatione sive datione legis usurpatur verbum *ἐξέδοται*, quam certum est Israëlitas non fuisse suis operibus pro meritis. Apparet igitur ex hac prædicatione. 1. Regnum gratiæ esse quidem in hac vita *ambulatorium*, & transferri à gente in gentem, interim tamen *perpetuum*. Si gens una non profert fructus regno dignos, ad aliam gentem transfertur. Sicut sponsus sponsæ fidem non servanti preciosa monilia aufert, eademque alteri donat: sic Deus regni sui clino dia aufert ab illis, qui fidem ipsi non servant, & ad alios eadem transfert. 2. Gloriam regni Dei ab Israël ad gentiles translata esse. Non quidem absolutè & simpliciter Judæis denegatum est esse de regno Dei, quippe ad quod æquè per fidem ipsis patet aditus ac gentilibus, interim dicitur ab illis *regnum Dei ablatum & gentilibus datum*, quia cœlesia in Nov. Test. præcipuè ex gentibus colligitur, sicut in Vet. Test. apud Judæos præcipuè erat Ecclesia, & ad regnum Dei gentiles ut profelyti & hospites admittentur. Bernh. serm. 30. in Cant. *Non perit vinea sed migravit, etiam crevit & dilatata est, in fide plantata, in caritate mittit radices, defossa sarculo discipline, stercoreata penitentium lacrymis, rigata prædicantium vocibus.*

3. Vocationem ad regnum gratiæ esse planè gratuitam. Datur regnum Dei, non redditur meritis nostris.

Tertio prædicit Christus *gentem*, cui dabitur regnum Dei, *facturam ejus fructus*. *zōōvri* non est verendum in præfenti, sed in futuro, *edituræ, prolaturæ fructus*, non enim loquitur de re jam præfente, sed dationem regni demum securura, ideò rectius exprimitur per periphrafin, *quæ ferat vel proferat fructus*, & quidem non quoslibet, sed tales, qui sint *fructus regni*, quales regnum Dei requirit, quales decet populum Dei edere, qui conveniunt regno Dei, adeoque ejusmodi fructus, quos ut proferret, vinea à Deo est plantata, & ad quos colligendos missi fuerunt à Domino servi. Paulus illos vocat *fructus Spiritus* Galat. 5. v. 22. quia civibus hujus regni sui Deus donat Spiritum sanctum, qui eos illuminat, regenerat, renovat, sanctificat, ut non perficiant opera carnis, sed proferant fructus Spiritus, sicque factò ipso demonstrent, se esse frugiferos palmites in vinea Domini, & obsequentes regni cœlestis cives. Bernhard. serm. 63. in Cant. *Fructus hi sunt, quos Paulus enumerat, dicens: Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax, &c. Fructus isti profectus nostri, hi accepti sponso, quia ipsi cura est de nobis. Num de virgultis cura est Deo? homines, non arbores amat homo Deus, & nostros profectus suos fructus deputat.* Maldonatus disputat, *his verbis significari causam, propter quam gentibus danda sit vinea & regnum Dei, quia scilicet fructus ejus sint factura, id est, bene eam culture & fructus Domino reddiura.* Sed cum fructificatio illa gentilium ad Christum converforum non minus sit opus divini gratiæ, quam ipsa vocatio ad regnum Christi, ideò non potest illa statui vocationis causa, ac Paulus disertè docet Rom. 9. v. 11. & 12. vocationem & electionem non pendere ex prævisis hominum operibus, sed ex gratuita Dei vocantis & eligentis misericordia. Ideo autem Christus hanc prædictionis partè subjungere voluit 1. ut obliquè notaret Judæorum culpam, propter quam regnum ipsis fuit ablatum, quia scilicet non fecerunt ejus fructus. Rom. 11. v. 20. 2. Ut admoneret gentiles, ad regnum gratiæ vocandos, sui officii. Cogitent illi, eo sine sibi datum esse Dei regnum, ut fructus ejus ferant. 3. Ut futurum hujus dationis sive translationis eventum significaret. Ut enim Apostoli in colenda vinea Dominica & extruendo spiritali ædificio longè fidiorem Deo præstiterunt operam, quam Proceres Hierosolymitani, mali illi coloni & architecti: ita Christiani in primordio Ecclesiæ Nov. Test. longè meliores & Deo gratiores fructus protulerunt, quam Judaicus populus à Deo repudiatus. Sed ut Judaicus populus à pietate majorum suorum, qui itidem Deo debitos proferebant fructus, degeneraverat: ita quoque nos à fertilitate bonorum fructuum, quæ in primitivæ Ecclesiæ Christianis conspicitur, plurimum degeneravimus. Nostrum erat proferre *fructum bonum cordis*, in Christum credendo; *fructum oris*, ipsum confitendo; *fructum operis*, ipsi serviendo; *fructum animæ*, ardentè Deum amando; *fructum corporis*, adversa patienter tolerando; *fructus Spiritus*, non carnis; *fructus regni Dei*, non regni Diaboli; sed res ipsa clamat, quosdam ex nobis nullos proferre fructus, sed esse planè *infructuosos* Tit. 3. v. 14. quosdam proferre fructus in speciem tantum bonos, qui ha-

bent speciem pietatis, sed virtutem ejus abnegant. 2. Tim. 3. v. 5. quosdam proferre fructus pessimos Matth. 7. v. 18. qui describuntur Galat. 5. v. 19. quosdam non solum nullos proferre fructus, sed etiam scandala illis objicere, eosque impedire, qui bonos fructus ferre desiderant. Luc. 11. v. 52. quid ergo aliud futurum sperare possumus, quam ut à nobis etiam regnum Dei auferatur? Potest etiam in specie ad quemvis Christianum hoc applicari. Ut enim pastoribus datur vinea Ecclesiæ excolenda, ita unicuique nostrum vinea animæ quasi elocatur. Ut per prædicationem Evangelii regnum Dei alicui populo offertur in genere; ita per eandem verbi prædicationem & Sacramentorum administrationem unicuique offertur in specie. Mittitur servus unus, alter, tertius, &c. cum lex, psalmus, prophetia, &c. legitur, quorum monitu bene operemur, sed missus cæditur, ejicitur &c. cum sermo contemnitur, vel quod pejus est, blasphematur. Quot bonæ inspirationes & sanctæ cogitationes suffocantur, tot servi Dei occiduntur; heredes, quantum ad se, occidit, qui *Filium Dei conculeverit & Spiritum gratiæ contumeliam fecerit* Hebr. 6 v. 6. cap. 10. v. 30. alii vinea locatur & regnum Dei illi traditur, cum donum gratiæ, quod superbus perdit, humilis accipit. Gloss. ordin. in cap. 21. Matth.

Posterius *porisma*, quod ex oraculo Davidico Christus deducit, est generale. *Et omnis, qui ceciderit super lapidem illum, confringetur; super quem verò ceciderit, conteret illum.* Quidam hanc sententiam cum prioribus hoc modo connectunt, ut statuam, Christum pergere in probando eo, quod mali coloni occifores herilis filii male sint perendi, argumento ex allegoria Psalmi desumpto. Sed quia additur nota universalis, *omnis* qui ceciderit, ideò rectius dicitur, esse hoc consuetarium generale, non solum ad Proceres Judaicos, pessimos illos vineæ Dominicæ colonos, sed in genere ad omnes Christi adversarios pertinens, ac describere conditionem eorum omnium, qui vel ceciderint ipsi super hunc lapidem, vel super quem ille ceciderit, sive sint Judæi sive gentiles. Sensus ergo eò redit. Quandoquidem Messias in oraculo Davidico lapidi comparatur, ideò porro prædico vobis, nullum detrimentum ipsi allaturos, qui se ipsi opponere voluerint, sed potius sibi solis; adeoque irritos fore omnium eorum conatus, ac ipsis solis perniciosos, qui lapidem hunc hostili animo aggrediuntur. Lapis hic angularis firmus est & magnus, tales enim solent esse lapides angulares. *Qui ceciderit super hunc lapidem*, non lædet eum propter duritiem & firmitatem, sed ipse potius *confringetur: super quem ceciderit*, ab eo itidem nihil patietur, sed potius *conteret eum*, propter magnitudinem. Variæ autem dantur hujus comminatoriæ prædictionis interpretationes. Hieronymus in cap. 21. Matth. prius membrum de peccatoribus, posterius de abnegatoribus accipit. *Alius*, inquit, *est offendere Christum per mala opera, aliud vero, negare. Qui peccator est & in Christum credit, cadit quidem super lapidem & confringitur, sed non omnino conteritur, reservatur enim per penitentiam ad salutem: super quem verò ille ceciderit, id est, cui lapis ipse irruerit, & qui Christum penitus negaverit, sic conteret eum, ut ne testa quidem remaneat, in qua hauriatur aquæ pusillum.* Eandem interpretationem amplectuntur Autor imperf. operis & Beda. Et far

sanè certum est; Christum duplicem pœnam hoc loco significare, unam *mitiorem*, metuendam ei, qui super hunc lapidem ceciderit, alteram *graviorem*, metuendam ei, super quem hic lapis ceciderit. Qui enim super magnum lapidem cadit, lædit quidem se & membra confringit, interim tamen longè gravius læditur, super quem ingens saxum ex alto decidit, eum enim prorsus conterit: sicut enim Johannes inter *mortem primam & secundam*, tanquam inter duas pœnas, alteram minorem, alteram majorem, distinguit Apoc. 2, 11. c. 20. 6. cap. 21, 8. Sed num gravis illa pœna, videl. conquassatio prædicatur illis, qui in Christum credunt, interim ex infirmitate peccant, merito dubitatur, cum de Christo prædictum sit, quod calamum *quassatum non sit confracturus* Esa. 42. v. 3. Matth. 12. v. 20. Quidam tò *cadere super lapidem* dicunt esse, Christum in membris suis persequi velle, Christo quasi superiorem esse & illum cum verbo suo conari opprimere: Quisquis verò hoc modo supra lapidem illum cadit, *conquassatur*, i. e. temporali & æterno exitio involvitur. Quemadmodum enim in lapide quodam magno & solido evenire videmus, ut si super ipsum ex alto loco vasa quædam testacea decident, illum quidem nullatenus lædant, ipsa verò confringantur, atque eò quidem magis, quò ex altiori loco & fortius lapidi illiduntur: sic omnes homines sunt quasi vasa testacea, quotquot ex illis superbe in hac vita super mysticum lapidem sese elevantes super ipsum ceciderint, perdere eum & frangere conantes, ac velut pedibus ipsum calcantes, nihil ei nocent, sed seipsos confringunt, & menti & corpori pernecem afferentes, idq; eò magis, quò fortius huic lapidi illiduntur obstitendo, & conando eum perdere. Sed cum hæc metaphora è vita communi sit petita, non videtur de persecutoribus Christum in suis membris opprimere conantibus accipi posse, cum enim aliquis super lapidem cadit, non ideo cadit, ut illum opprimat & confringat. Ac si prius hoc membrum de persecutoribus ageret, non comprehenderet eos, qui in Christum non credunt, & tamen illum non persequuntur. Simplissima igitur & convenientissima interpretatio sumitur ex ipsa Scriptura. Esa. 8, v. 13. de hoc lapide prædictum, quod futurus sit in lapidem *offensionis*, & in petram *scandalis* duabus domibus Israël, in laqueum & in ruinam habitantibus Jerusalem, v. 14. ita ut offendant ex eis plurimi & cadant & conterantur & irretiantur & capiantur. Ad hoc vaticinium Christus respicit, quando hoc loco dicit: *Omnis qui ceciderit super hunc lapidem, conquassabitur*. Idem colligitur ex locis parallelis N. T. Luc. 2. v. 34. *Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israël* Rom. 9, 32. *impigerunt in lapidem offendiculi* v. 33. quemadmodum scriptum est, ecce pono in Sion lapidem offendiculi & petram scandalis, 1. Pet. 2. v. 8. factus est lapis, in quem impingitur, & petra, ad quam offendunt, nempe his, qui impingunt in verbum, neq; credunt in id ad quod & positi fuerant. Ex his locis rectè colligunt Chrysol. Euthymius, & Theophylactus, quod illi propriè & principaliter dicantur *cadere super hunc lapidem*, qui in Christo scandalizantur Matth. 11. v. 6. *ut non credant in eum*, sicut disertè exponit Petrus, qui ex operibus legis non autem ex fide justificari volunt, Rom. 9. v. 32. unde impingentibus in hunc lapidem opponuntur credentes, v. 33. & fide in ipsum resurgentes seque erigentes Luc. 2. v. 34. Quemadmodum fa-

cilè contingere potest, ut qui minus providè ambulat, in lapides angulares, utpote ex edificio prominentes, pedibus suis offendant, & super illos cadant: sic Christus multis fuit *lapis offensionis*, qui contentà ipsius specie, cum primis verò passione & morte fuere offensi, qui doctrinam ejus Mosai-cæ contrariam judicarunt, ac propterea repudiarunt, qui miracula ipsius Diabolicà virtute peragi calumniati sunt. Illis omnibus *positus fuit in ruinam*, quia ruinæ suæ occasione propria culpâ acceperunt ex eo, per quod ad fidem divinâ operatione perducere debuerunt. Quicumq; ergo per incredulitatem super hunc lapidem cadit, *conquassatur*, quod fictitium esse volunt à sono, Græcis est *contundo, conquasso*. *ὄσσεια ἔθλασεν* dixit Homerus *odyss. 6.* Heliodus illud à *ῥήζωι*, Paulus Ægineta à *καταγνώστωι* distinguit. *θλασθήσεται* Arist. 4. meteor. dicuntur, quæ in magnas partes dividuntur, *θλασθῆα* quæ in frusta majora dissiliunt; *conteri* verò dicuntur, quæ in minimas particulas comminuantur. LXX. utuntur pro *conquassatur*, *confrigit* Pl. 74. 10. Pl. 106. v. 16. Esa. 45, 2. pro *diffipando* *confruxit*, *confrigit* Pl. 57. v. 6. pro *confrigit*, *concidit* Mich. 3. v. 3. & pro *conquassatur*, *contrivit* Pl. 73. v. 15. Syrus habet verbum *conquassatur* ex Hebræorum *conquassatur*, *contrivit*, *comminuit*, sicut etiam LXX. Es. 8, 13. utuntur verbo *conquassatur* pro eo, quod hic dicitur *conquassatur*. Sensus igitur est, quod *omnis, qui ceciderit super hunc lapidem*, non sit lapidem ipsum ullâ ex parte læsurus, multò minùs ex fundamento & angulo ædificii eum remoturus, sed ipse potius graviter lædatur, *conquassabitur*, enim & *confringetur*, hoc est, ita, concutietur, ut toto corpore fractus doleat, vel etiam caput vulneret, vel pedem aut brachium confringat, sicut videmus illis contingere, qui in lapides angulares impingentes super, ipsos corruunt. Quia verò quidam non solum in Christo scandalizantur, ut verbū ejus repudient, sed etiam incredulitate suâ eò usque progrediuntur, ut Christum in membris suis persequantur, ipsumq; cum suo Evangelio opprimere conentur, ideo Christus etiam alterum membrum subjungit & *super quem ceciderit hic lapis, conquassabitur*. Vulgata & Erasmus reddiderunt *conteret*, quod gravius est quam *confringet vel conquassabit*, quo prius verbum *conquassatur* exprimitur. Ad verbum significat, *ventilabit*. *λιμῶν* enim propriè est ventilando paleas à frumento separare, minimèq; dispergere. *τὸ ἀχρῶν δὲ τὸ σίτου ἀχρῶν* ut Homeri Scholiastes reddit iliad. ε. Suidas exponit *τὸ σίτον καὶ ἀχρῶν*. Ruth. 3. v. 2. Esa. 30. v. 24. Amos. 9. v. 9. Metaphoricè igitur significat, *diffipare, disjicere*, adeoque ita comminueret & contereret, ut minutæ partes in auras dispergantur, ex consequente enim intelligitur antecedens, unde etiam Hefychirus *λιμῶν* metaphora à ventilatoribus desumptâ vocat *ἀσποροπισίας*, in qua significatione *diffipandi* usurpatur 1. Reg. 14. v. 15. Jer. 31. v. 10. Amos. 9. v. 9. & Dan. 2. v. 44. conjungitur cum verbo *λεπίθων*, quæ enim dispergenda sunt, ea prius minutissimè conteruntur. Syrus habet verbum *conquassatur* quod respondet Hebræo *conquassatur* mutato *con* in *con* more consueto. Significat autem *diffusionem ex attritione*, ut cum vasis fictilis allisi ad silicem partes huc & illuc dissiliunt. Ex quo apparet, graviores pœnam exprimi per verbū *conquassatur*, quam qualis fuit prior per verbū *conquassatur* expressa. Quod enim

enim conquassatur & contunditur, de eo adhuc spes est restitutionis & reparationis, sicut in luxatis membris, & (quæ metaphora hujus loci propria est) in illis, qui super grandem lapidem cadunt & conquassantur, fieri videmus. Sed quod in partes minutissimas ita conteritur, ut in auras dispergatur, de eo nulla amplius spes est restitutionis ac reparationis, quemadmodum contingere solet in valis fictilibus, vel in ipsis etiam hominum corporibus, super quæ grandis lapis ex alto decidit. Videtur Christus alludere ad locum Esa. 30. v. 14. conteret eum secundum contritionem lagenæ sigulorum, conterendo non parceret, & non inveniatur de fragmento ejus restita ad capiendum ignem de incendio, & ad hauriendum aquam de fonte, uti etiam ad locum Jerem. 19. v. 10. & 11. conteram populum istum & civitatem istam, sicut conterit quispiam vas siguli, quod non potest curari ultra. Quinam verò sunt, super quos cadit hic lapis? Hieronymus in genere accipit de incredulis, sed quia de illis in præcedente membro fuit actum, ideo principaliter de persecutoribus hoc accipiendum, qui Christum & Ecclesiam ejus persequendo perinde faciunt, ac si quis prægrandem aliquem lapidem in sublime projiciat, à quo in proprium caput delapsus penitus conteratur, sicut Psal. 2. v. 9. de illis dicitur, conteres eos in virga ferrea, sicut vas siguli confractos disperges eos, ubi habetur verbum *שבר* fraktionem cum dispersione significans, quod Christus hoc loco per verbum *κατασφραγήσει* expressit. Quidam in specie accipiunt de Judæis, de quibus præcedens parabola potissimum agit, Christus fuit ipsis lapis offensionis, in quem impegerunt per incredulitatem & contracti sunt Rom. 11. v. 20. postea verò lapis ille angularis, in quem impegerunt, cecidit super eos, quando supplicium per Romanum exercitum ab illis sumisit, eosque penitus contrivit. Sed quia Christus in genere dicit, *omnis super quem lapis ille ceciderit*, quæ nota universalitatis ex priore membro repetenda, ideo rectius in genere de omnibus persecutoribus accipitur. Quamvis verò interdum etiam in hac vita persecutores ad debitas pœnas iusto Dei judicio revocentur, ac vel repentinâ morte pereant vel aliis modis divinitus coërceantur, sicut exemplis quamplurimis comprobatur dari potest, ex quo enatum illud Poëta: *Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci descendunt Reges & sicâ morte Tyranni*: Christus tamen principaliter hic loquitur de gravissimis illis pœnis, quas persecutores, & unâ cū istis omnes, qui in incredulitate pertinaciter usque ad finem vitæ perseverarunt, in extremo judicio experiuntur. Videtur enim hic locus desumptus ex Dan. 2. vers. 45. lapis abscissus de monte sine manibus comminuit ferrum, æs, testam, argentum & aurum, id est, omnia hujus mundi regna, quod fiet in die novissimo. 1. Cor. 15. v. 24. tunc enim Christi hostes non consistent in judicio Ps. 15. sed projicientur sicut glæna, quam ventus dispellit. v. 4. tunc implebitur illud Apoc. 18. vers. 21. *sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare dicens, hoc impetu mittetur Babylon civitas magna, & ultra jam non inveniatur*, tunc impii terrore exanimi dicent montibus & petris: *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum & ab ira Agni*. Esa. 2. v. 10. Of. 10. v. 8. Luc. 23. v. 30. Apoc. 6. v. 16. tolerabilius enim ipsis videbitur omnium montium impetus, quàm hujus lapidis angularis delapsus sustinere.

Hanc explicationem etiam sequitur Augustinus lib. 1. quæst. Evang. cap. 30. *De his dicit, quod cadunt super illum, qui eum modo contemunt vel injuriis afficiunt, ideo nondum penitus intereunt, sed confringuntur, ut non rectè ambulent: super quos autem cadit, veniet illis de super in judicio cum pœna perditionis, ideo dixit, conteret eos, ut sint impii tanquam pulvis, quem projicit ventus à terra*. ferm. 234. de temp. *Quando in eum lapidem offenditur, humilis jacet. Facendo humilis quassat offendentem, veniendo excelsus conterit superbientem. Jam Judæi illâ offensione quassati sunt, restat ut ejus præclaro adventu etiam conterantur, nisi forte cùm vivunt, agnoverint, ne moriantur*. Chrysostr. Euthymius & Theophylactus in comm. monent lapidem hunc super aliquem cadere, nihil aliud esse, quàm Christum alicui esse iratum, jam verò in novissimo die ipsius ira vel maximè exardescet adversus persecutores & incredulos, cum quibus tunc in ira sua loquetur Ps. 2. vers. 5. & à facie sua eos in æternas pœnas abjiciet. Misera quidem est eorum conditio, qui super hunc lapidem cadunt, sed longè inferior erit eorum conditio, super quos hic lapis in die novissimo cadet per repentinum judicis adventum, & terribilem damnationis sententiam. Qui cadit super hunc lapidem in hac vita, gravissimè quidem læditur in sua anima, quam incredulitas quasi conquassat & luxat, interim quamdiu hæc vita durat, spes reparationis adhuc superest: sed super quem cadit ille lapis in cœlum per ascensionem elevatus, super illum totum iræ suæ pondus demittit, eumque non solum aliquâ sui parte conquassat & luxat, sed absque ulla reparationis & restitutionis spe contritum instar pulveris dissipat & dispergit, instar testæ in partes tam minutas redactæ, ut nullum superfit fragmentum, quo vel ignem divini amoris à summo altari Christo Apoc. 8. v. 3. vel aquam vivam ex fontibus Salvatoris imposterum haurire possint. Esa. 12. v. 3. Monemur igitur, Christum non tantum esse lapidem angularem & fundamentalem, sed etiam lapidem offensionis illis, qui super eum cadunt per incredulitatem; lapidem comminuentem eos, super quos cadit in sua ira & judicio. Caveamus proinde, ne etiam nobis postus sit in ruinam, sed potius in resurrectionem Luc. 2. v. 34. tunc autem possumus beneficio hujus lapidis è cœno peccatorum & miseriarum, in quo per Naturam hæremus, resurgere, nosque erigere, si verâ fide hunc lapidem apprehendamus, eique firmiter innitiamur Rom. 9. v. 33. 1. Petr. 2. v. 6. &c. Videmus etiam, qualis exitus maneat persecutores, æternum scilicet exitium, quod per delapsum hujus lapidis in eos significatur. Potest in super posterius membrum in genere applicari ad omnes, qui in incredulitate, impœnitentia & peccatis contra conscientiam moriuntur, illos Christus è cœlo ad judicium rediturus æterno exitio adjudicabit, & instar pulveris à facie sua projiciet. Qui Sabbatho ligna collegerat, lapidabatur Num. 15. v. 36. qui in secundo Adamo, in Christo scilicet internum ac spirituale Sabbathum non observat, à peccatis & operibus carnis feriando, is lapide obruetur; lapis ille Christus est obruturus aliquando in secundo suo adventu omnes impœnitentes peccatores.

Tertia pars hujus pericopes continet eventus explicationem, quo animo scil. Christi auditores hujus parabolæ recitationem & accommodationem perci-

perceperint, quamve apud ipsos gratiam Christus suâ doctrinâ inierit? Duo fuerunt auditorigenera, quibus Christus hanc parabolam proposuerat, ut superius monuimus. 1. Populi proceres. 2. Populus promiscuus: apud utrosq; diversi affectus, & diversa studia occasione hujus parabolæ existunt. Ad priorem classem pertinent *Principes Sacerdotum, Pharisei & Scribæ*; quorum omnium quis fuerit status, quæve professio, suo loco exposuimus. Matthæus nominat *Principes Sacerdotum & Phariseos* v. 45. Pro *οἱ φαρισαῖοι*, in quodam exemplari scribitur *οἱ γεγραμμένοις Scribæ*, quæ mutatio procul dubio ex eo originem traxit, quod in v. 23. ubi Procerum ad Christum accessus describitur, non fit mentio *Pharisaorum*, sed *Principum, Sacerdotum & Seniorum populi*. Sed probatissimi Codices legunt *φαρισαῖοι*, quam lectionem etiam sequitur Syrus, qui habet *ܡܘܨܝܐ*. Quia verò in descriptione accessus loco *Pharisaorum* nominantur *Seniores populi*, ex eo colligi potest, Seniores populi plerosq; omnes *Phariseos* fuisse, sicut *Sacerdotes* pleriq; fuerunt *Sadducaei*, ut colligitur ex *Actor.* 5. v. 17. Lucas *Principibus Sacerdotum* conjungit *Scribas* v. 19. sed *Seniores populi* simul intelligendos esse patet ex v. 1. De hisce primariis tria commemorant *Evangelista*, 1. *sanguinarium ipsorum propositum*, quod quæsiuerint Christum comprehendere, & ponitur hic aduersatiuè. *Et cum audissent Principes Sacerdotum, & Scribæ, & Pharisei parabolam ejus*, id est, cum autem audissent, tum hanc de vinea ingratis agricolis elocata, tum superiorem de duobus filiis à parente in vineam ablegatis, parabolam; *ἐζητήθησαν, quærebant, studebant*, id est, affectabant, & mirificè cupiebant, ita enim verbum *ζητῶν* usurpatur *Matth.* 2. v. 13. c. 13. v. 45. c. 26. v. 59. &c. ac respondet *Hebræo* שׁוֹרֵר pro quo à *LXX.* Interpp. usitatissimè accipitur, quod significat magno studio & conatu inquisiuit, 1. *Reg.* 1. 2. c. 19. 10. Quærebant autem Christum *καταῆσαι, capere, comprehendere*, ad occidendum scilicet. Verbum hoc includit violentiæ significationem, sic *Herodes Johannem* in carcerem abduci iubens, & in mala mansione eum detinens, dicitur *καταῆσαι αὐτόν*, *Matth.* 14. 3. *Marc.* 6. 17. & quando Christum postea in orto captivum duxerunt, dicuntur eum *καταῆσαι*, *Matth.* 26. 50. 57. *Marc.* 14. v. 46. Syrus habet verbum *ܘܨܝܪ* formatum ex *Hebræo* שׁוֹרֵר, quod itidem violentiæ apprehensionis & detentionis significationem habet, pro quo etiam *LXX.* Interpp. verbum *καταῆσαι* usurpatur, *Ruth.* 3. v. 15. 2. *Reg.* 6. 6. 2. *Paral.* 25. 5. &c. Eodem modo vocabulum *καταῆσαι* à *Matthæo* & *Marco* usurpatum exponit Lucas, per τὸ ἐπιβαλεῖν τὰς χεῖρας ἐπὶ χεῖρας manus in Christum injicere, violentas scil. & inimicas; voluerunt autem Christum comprehendere eadem horâ; illo ipso temporis momento, quamvis festum Paschatos in proximo esset, cuius reverentiâ ab hoc sanguinario proposito revocari debuissent. Negaverant jure sibi tribui, quod meditentur necem filii herilis à patrefamilias ad se ablegati, dicentes *absit*, sed ecce jam reipsâ demonstrant, se esse colonos illos pessimos cædis & sanguinis cupidissimos, Christum verò, id quod res erat, & nil nisi veritatem dixisse. *Chrysostomus* ex hoc Procerum proposito colligit, τὴν πονηρίαν εἶναι ἀνεδέτητον, *malitiam esse incorrigibilem*, hoc est, ægerrimè admittere aliorum correptionem & correctionem, ac si vel maximè eam audire cogatur, tamen eadem mini-

mè emendari. Christus has parabolam proposuerat, ut ad agnitionem peccatorum suorum perducerentur, & venturas pœnas effugerent, neque quicquam eorum, quæ ad illos præmonendos, & à pessimo facinore interficiendi Messiam revocandos aliquid facere possent, prætermiserat, tantum verò abest, ut ad saniolem mentem redirent, ut irritatiores potius ac peiores redderentur, ac impietatem impietate cumularent; hæcenus in *Johannis Baptistæ* necem conspiraverant, jam de ipso Messia interficiendo cogitant, quod peccatum priore incomparabiliter majus erat. *Ægrè* ferebant, sibi à Christo hanc maculam aspergi, quod nec postea pœnitentiam egerint, quando publicanos & meretrices à *Johanne Baptismo* suscipere viderunt, sed hic reipsâ illud comprobant, dum in sua improbitate longius progrediuntur, videlicet à cæde servi ad necem herilis filii, ab ignoratione Scripturarum ad pertinacem eorum, quæ Christus ex Scripturis demonstraverat, negationem; à peccatis ad incorrigibilem in peccatis sine conversione persistendi malitiam. Idem est ingenium omnium hypocritarum, propriæ justitiæ persuasione turgentium, falsa enim justitia, ut fastus est plena, ita quoque vindictæ cupida, ac quando de vitis accusatur, non studet melior fieri ex correptione, cum se puram & perfectam somniet, sed ad vindictam inflammatur. Idem etiam est ingenium omnium *Eclesiæ* hostium, non admittunt sanam doctrinam, nec emendantur comminatione pœnarum, sed contra Christum & ejus membra magis concitantur. Reguntur à *Satana*, qui est *mendax & homicida*, *Joh.* 8. v. 44. ideo de tollendis è medio verbi confessoribus consilia ineunt. Quia manifesta veritati pertinaciter se opponunt, dantur in reprobum sensum, ut nullis commonefactionibus in posterum locum relinquunt. Videmus insuper quale didactron summus *Eclesiæ* Doctor in officio suo reportaverit, videlicet odium & persecutionem. Quærebant ipsum occidere, qui sollicitè quærebat animas illorum salvare; machinabantur illi mortem, qui vitam ipsis offerebat æternam. Quod si Christo in ministerio suo hoc obtigit, quomodo aliam in his terris sortem vel expetere vel expectare poterunt ipsius legati? *Matth.* 10. v. 25. *Joh.* 13. v. 16. cap. 15. v. 20. &c. Nimirum ut olim, ita adhuc hodie, *amaræ est veritas, & qui eam prædicant, replentur amaritudine*, ait *Hieronymus* lib. 2. aduers. *Jovinian.* p. 179.

2. *Propositi hujus principium.* Quærebant Christum comprehendere, cognoverant enim, quod de ipsis, & adversus ipsos hanc parabolam dixisset. Apud Evangelistas hic occurrit quædam verborum trajectio, sic enim textus collocandus. *ἐζητήθησαν αὐτόν καταῆσαι, ἐγνωσαν γὰρ ὅτι πρὸς αὐτὸς τὴν παραβολὴν εἶπε, & ἐφοβήθησαν τὸ ὄχλον, ὡς περὶ αὐτοῦ εἶχον*. Hæc igitur ratio, cognoverant enim, quod adversus ipsos parabolam dixisset, non pertinet ad proximè præcedens membrum *ἐφοβήθησαν τὸ ὄχλον*, sed ad remotius, videlicet *ἐζητήθησαν αὐτόν καταῆσαι*. Hæcenus sapius audiverant à Christo sua vitia taxari, sed pecuniis colligendis & honori suo afferendo unice intenti, erant enim avari & ambitiosi, *Matt.* 23. 6. 14. *Luc.* 16. 14.) vel etiâ odio contra Christum flagrantem, ipsumq; opprimere cogitantes, non animadvertenter, nunc demum tam acriter à Christo puncti ex veterno paululum excitantur, ac manifestè intelligunt, de se & ad-

Harm. Tom II. vel Gerhard. Contin. pars prim.



adversus se hanc parabolam dici, *πρὸς αὐτὸν* vulgata versio reddidit *ad eos*, sed præpositio *πρὸς* significat hoc loco quandam *ἐναντιώσιν*, idè rectius hic redditur *adversus eos*, quo modo etiam alibi usurpatur, ut quando dicimus *μάχεσθαι πρὸς τινα*, Chryso- stomus *πρὸς θεὸν ἀμαρτίας* dixit. Et quod propriè hujus loci est; oratio dicitur scripta *πρὸς τινα*, quæ *adversus aliquem* scripta. Aristor. 2. Rhetor. Demo- sthenes *πρὸς Λεπίπην*. Hoc ergo occasionem ipsis præbuit concipiendi sanguinarium illud de Chri- sto interficiendo propositum, quod malitiam suam in parabolis, velut in speculo quodam populo pro- poni intelligerent, quam ipsi interpretabantur injuriam, & ex eo honoris sui decrementum metue- bant. Jam antè quidem decretum fecerant, om- nem occasionem Christum comprehendendi & captivandi amplexandam esse, Joh. 11. v. 53. sed cùm hoc loco intelligerent, Christum tanta *παρρη- σία* adversus ipsos parabolisare, magis adversus eum concitatur, & firmiter statuunt, ipsum om- ninò è medio esse tollendum. Apparet ex hoc loco vis & efficacia verbi divini, quod corda pec- catorum eo compungantur, Actor. 2. v. 37. cùm sit gladius Spiritus, Eph. 6. v. 17. inde quamvis nomen delinquentium in concionibus *ἐναντιώσιν* spe- ciatim non exprimitur, sed in genere duntaxat vitia arguantur, illi tamen, contra quos ejusmodi conciones diriguntur, sese pungi sentiunt, ipsa e- nim conscientia delinquentium est ipsis concio- num istarum interpres optimus. Noverant Pro- ceres, quomodo erga Christum essent affecti, quid- ve adversus ipsum molirentur, facile igitur intel- ligunt, sua taxari vitia, debuissent ergo ad pœni- tentiam & emendationem perducere, sed majore ad- versum reprehensorem accenduntur odio, id quod extrema & deplorata malitiæ erat signum. *Bonus in peccato comprehensus gemit, malus verò fremit, non quia peccavit, sed quia in peccato comprehensus est*, ut Chryso- st. loquitur. Sicut calx affusa aqua accenditur, ignis oleo infuso augetur, sic malitia impiorum repre- hensionis oleo magis inflammatur. Videmus et- iam exemplar præposterii consilii, quo pœnas in comminationibus sibi propositas hi Proceres evi- tare cupiunt, videlicet per oppressionem illorum, qui comminationes Dei nomine ipsis proposue- rant, sed tantum abest, ut perversa & præposterâ hac ratione pœnas promeritas effugiant, ut eas- dem potius accelerent atque augeant mensurâ iniquitatum suarum hoc modo citius impletâ.

3. Propositi hujus *obstaculum*. *Et querentes illi ma- nus injicere, metuebant turbas, quoniam tanquam Prophe- tam eum habebant.* 2. ponitur adverbatiè, quærebant ipsi manus injicere, sed timebant turbam. In qui- busdam Codicibus apud Lucam non additur *ὅχλον*, sed ex Matthæo & Marco constat, illud necessariò hic esse subintelligendum, unde etiam in pleris- que Codicibus additur: Ideo autem timebant tur- bam, quia tanquam Prophetam Christum habe- bat, *ὡς* hoc loco non est similitudinis, sed verita- tis, agnoscebat ipsum esse Prophetam, ex doctrinâ scilicet efficacia, & ex majestate miraculorum, erat enim *potens in verbo & opere*, Luc. 24. v. 19. Syrus red- didit, *tenebant eum tanquam Prophetam*, quem idioti- simum etiam Germanica nostra lingua exprimit, sie hielten ihn für einen Propheten. Sic ergo rectius de Christo sentit turba, quam Proceres, quamvis de-

buisset plus proficere, & Christum non solum Prophetam, sed etiam Messiam agnoscere. In Ma- gnatibus metu populi à Christo comprehendendo repressis. 1. Depingitur Natura hypocritarum, quod turbas timent, Deum verò non timent; pe- riculum à populo imminens magnificiunt, divi- num verò judicium contemnunt; revocantur à delictis, non amore justitiæ, sed timore pœnæ, in- de etiam ad tempus duntaxat à delictis perpetratis externa membra cohibent, interim, quia sce- lus animo clausum interius retinent, ideo post- modum toto ad illud feruntur impetu. Si divino amore vel certè Dei timore ab occidendo Chri- sto cohibiti fuissent, in posterum etiam ab hoc fa- cinore abstinuissent, sed quia vano & inani populi metu duntaxat ab eo revocantur, idè ad tem- pus solummodo retardantur. 2. Proponitur exemplum mirabilis providentiæ divini, quæ populi metu velut freno quodam hostibus injecto ipsos cohibuit, quò minus ante constitutum tem- pus in Christum manus injicerent. 3. Principalis causa crudele ipsorum propositum impediens e- rat divina vis conatus ipsorum cohibens, quia sci- licet nondum aderat constitutum passionis tem- pus, Joh. 7. v. 30. quod cùm postea adesset, tan- tum abest, ut turbas amplius metuant, ut earum potiùs operâ sanguinarium suum consilium in- effectum deducant; ut autem hostes Christi di- vinitus hoc loco cohibentur, ut non possint Chri- stum occidere ante constitutum tempus, etiam si cupidissimè id facere desiderarent: ita quoque Ecclesiæ hostes nihil quicquam possunt contra fideles verbi Doctores & Confessores proficere, antequam divina accedat permissio, & priusquam cursum vocationis suæ cofecerint, cohibentur enim divino consilio, & ad hanc cohibitionem. Deus quandoque utitur contentis & abjectis medi- diis, sicut hoc loco metu plebis Proceres coër- cet. In turba, quæ Christum tanquam Prophe- tam habet, videmus 1. Aures auditorum quan- doque puriores esse, quam labia docentium; o- ves quandoque rectius sapere quam pastores; Johan. 7. v. 48. & 49. 2. Christum duplici modo à nobis teneri. Proceres quærebant Christum comprehendere & tenere, sed ad interficiendum. Populus Christum tenebat, (ubi in Syriaca para- phrasi idem verbum habetur, quod de Proceribus prius fuerat usurpatum) sed tenebat eum tan- quam Prophetam. Hoc posteriore modo tene- bat eum sponsa, dicens Cant. 3. v. 1. *Quasi quem diligit anima mea.* v. 4. *Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Eodem etiam modo, fide scilicet, ipsum tenebat peccatrix, de qua Luc. 7. v. 45. dicitur, *quod non cessaverit osculari pedes ejus, quos arte fuerat amplexa; uti etiam piæ mulier- culæ, quibus post resurrectionem suam apparuit, quæ tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum*, Matth. 28. v. 9. Quilibet ergo videat, quomodo Christum teneat. 3. Turbam esse in studiis suis perquam instabilem. Hieronymus in cap. 21. Matth. *Semper turba mobilis est, nec in proposito voluntate persistens, atq; in morem fluctuum, diversorumq; ventorum huc illuc, truditur, quem nunc quasi Prophetam venerantur & colunt, postea contra eum clamant, crucifige eum.* Dere- liquis ad hunc locum pertinentibus supe- rius cap. 148. fuit dictum.

CAPUT CLIII.

CHRISTUS PARABOLAM DE NUPTIIS
FILII REGIS ET VESTE NUPTIALI

recitat. Matth. 22. v. 1.

RATIO ORDINIS.

Parabolæ de vinea ingratas agricolis elocata subjungit Marcus cap. 12. v. 12. *Et relicto illo abierunt, videlicet Summi-Sacerdotes, Scribæ & Seniores, ut colligitur ex cap. 11. v. 27. abierunt autem, ut remotis arbitris invicem consultarent, quâ ratione liberum illum concionatorem, à quo vitia sua publicè argui iniquissimè ferebant, è medio tollerent, cognoverant enim, quod contra se parabolam de malis vineæ colonis malè perdendis dixerat, Matth. 21. v. 45. Marc. 12. v. 12. Luc. 20. v. 19. unde communi consilio mittunt ad ipsum Discipulos Pharisæorum & Herodianos, qui eum caperent in sermone, ut speciem & prætextum quandam haberent tradendi ipsum Principatui & potestati Præsidis, quæ historia apud Marcum & Lucam parabolæ de vinea ingratas agricolis elocata immediatè subjicitur, Marc. 12. v. 13. Luc. 20. v. 20. sed ex Matthæi descriptione manifestè apparet, Christum Sacerdotibus, Scribis, Senioribus & Pharisæis, priusquam abirent, & in locum Consistorii sive Synedrui secederent, proposuisse adhuc aliam parabolam de nuptiis Filii Regis, & veste nuptiali. Antequam enim memoret, Pharisæos ad Christum discipulos suos ablegasse cum quæstione, *An liceat censum dare Cæsari, nec ne?* præmittit: *Et respondens Jesus locutus est eis iterum in parabolis, dicens: Simile factum est regnum eorum homini Regi, qui fecit nuptias Filio suo. Ex quo intelligitur hanc parabolam in ferie Harmonicæ subjungendam parabolam de vinea ingratas agricolis elocata, & præmittendam historiam de quæstione census à discipulis Pharisæorum, & Herodianis Christo proposita. Marcus & Lucas recitationi hujus parabolæ superfederunt, quippe, quam accuratè cum omnibus circumstantiis à Matthæo descriptam viderant. Quidam statuunt, hanc parabolam eandem esse cum ea, quam Lucas cap. 14. v. 15. recitat de Homine parante cœnam magnam, & multos ad eam invitante, cum omnia ferè, quæ in parabolâ coagmentatione à Matthæo & Luca narrentur, sint similia: quæque videntur dissimilia, adeo sint levia, ut ab hac sententia neminem dimovere debeant, constat enim Evangelistas non solum in ejusdem parabolæ, sed etiam ejusdem historię enarratione nec omnia recitare, nec iisdem verbis, sed eadem sententiâ uti solere. In hac sententiâ fuisse Iræneum, colligitur ex eo, quod lib. 4. cap. 70. convivium hoc nuptiale modò prandium vocat, ut est apud Matthæum, modò cœnam, ut est apud Lucam. Sicut etiam Theophylactus in commentario hujus loci scribit: *Prandium hic vocat, quamvis alio loco cœnam dixerit. Non absurde cœnam, nam in novissimis temporibus perfecte apparuerunt ille nuptie, & ad vesperum, & ad finem seculi.***

Harm Tom. II, vel Gerhard. Contin. pars prim.

*lorum. Prandium autem ed, quod & in prioribus seculis revelatum fuit mysterium, tametsi obscurius. Existimant igitur parabolam hanc suo loco & tempore à Luca ordinis observatore recitari, Matthæum verò in ea recitanda non secutum ordinem temporis, cum non fuerit illi propositum, Historiam, ut gesta erat, contexere, sed Christi doctrinam, dumtaxat exponere, unde ea, quæ similem habent significationem & doctrinam, eodem loco posuerit, & quia hæc parabola cum præcedente de vinea quandam cognationem habet, ideo statuunt, Matthæum eandem in hunc locum distulisse. Sed hæc Calvinii, Maldonati & aliorum opinio non congruit verbis Matthæi, quia recitationi hujus parabolæ præmittit: *Et respondens Jesus locutus est eis in parabolis, dicens. Utique ergo post recitam de vinea ingratas agricolis elocata parabolam, proposuit eis hanc ipsam de nuptiis regis, quam proinde diversam esse à parabolâ de Cœna Magna, Luc. 14. v. 15. proposita, rectius statuit Augustinus lib. 2. de consens. Evangel. cap. 71. Parabolam (inquit) istam de invitatis ad nuptias solus Matthæus narrat. Simile quiddam etiam Lucas commemorat, sed non est hoc, sicut & ordo ipse indicat, quamvis & illud nonnullam similitudinem gerat. In eadem sententia est Gregorius, homil. 38. in Evangel. quamvis modestè addat, non esse hæc de re odiosè contendendum, cum non cernat aliquem fidei articulum. Sunt, inquit, nonnulla, quæ sibi dissona videntur, quia hic prandium, illuc cœna memoratur; hic qui ad nuptias non dignis vestibus intravit, repulsus est, illic nullus, qui intrasse dicitur, repulsus esse perhibetur. Quæ ex re rectè colligitur, quod & hic per nuptias præfens Ecclesia, & illic per cœnam æternam, & ultimum convivium designatur, quia & hanc nonnulli exituri intrant, & ad illud quisquis semel intraverit, ulterius non exhibet. Probamus autem hanc sententiam ex diversitate. 1. *Temporis.* Parabolam de cœna magna, proposuit Christus, cum adhuc in Peræa ageret, antequam ultimam suam profectionem in Judæam suscepisset, tribus mensibus, vel præter propter ante ultimum Pascha *συνάγωγος*; sed hanc de prandio nuptiali parabolam proposuit tribus diebus ante Pascha, cum morti jam vicinior esset. 2. *Loci.* Illam parabolam proposuit in convivio cujusdam Principis Pharisæorum, hanc verò in templo Hierosolymitano. 3. *Occasionis* utrobique Christo datæ. Parabolæ de cœna magna occasionem dedit quidam Pharisæus, dicens: *Beatus, qui manducat panem in regno Dei,* quasi dicat: nimis vulgaris & terrena profers de eligendo loco novissimo in convivio, de vocandis pauperibus, claudis & cæcis, ad convivium, deberes spiritualia & cœlestia de manducando pane in regno Dei proferre, cujus hypocritam Christus parabola illa taxare**

Hh 3

taxare